IOANNIS DE SOLORZANO PEREIRA I. C. HISPANI,

IN SALMANTICENSI ACADEMIA PROPRIMARII CÆSAREI IVRIS ANTECESSORIS,

Diligens & accurata de PARRICIDII CRIMINE Disputatio, duobus Libris comprehensa: quorum Prior pœnas huic sceleri constitutas exactissimè explicat; Posterior, qui eis subdantur non minori curâ pertractat.

Opus non iuris tantùm, sed & omnigenâ aliarum litterarum cognitione conspicuum, & vel ipsâ rerum, quæ in eo continentur, varietate, & nouitate censendum, & nulli non vsui, & voluptati futurum.

Primâ hâc editione curâ quâ potuit maximâ typis Tabernelianis excussum. Duplici adiecto Indice: vno capitum, & altero rerum locupletissimo.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.D. Ioannem Baptistam de Azebedo Pontificem Vallisoletanum, & supremi causarum Fidei Senatus amplissimum Præsidem.

SALMANTICÆ

Excudebat ARTVS TABERNIEL Antuerpianus Ioanni Comanno Bibliopolæ.

CIↃ. IↃC. V.

ERRATA SIC CORRIGITO.

PAgi.6.lin.1 frustra.leg.frusta.pa. 19.li.2.Duo.le.Duc.pa.37.li.17.aut.le. haud.pa.81.li.18 genitore.leg.genitori. pag.88.li.vlt.Flumine tolliâ.le. Flumineâ tolli.pa.104.li.9.mari le.mare.pa.105.li.14.properare.le.properari. pag.110.lin.17.præteri.leg.præteriri.pag.126.lin.24. misericordiam. le.mise. ricordiâ.pag.141.lin.15.proprius.leg.propius. lin.21.filium. leg.filio.lin.25. îndita.leg.indicta.lin.27.idem damnatum. leg.indemnatum.lin. vlt.inditâ. leg.indictâ.pag 143.li.1.textus. leg.textum. pag.158.lin.28.putet.leg.pudet. pag.101.li.11.pudor le.pædor.

Manuel Correa
de Montenegro.

TASSA.

YO Francisco Martinez Escriuano de camara del Rey nuestro Señor, y vno de los que en el su Consejo residen certifico y doy fe que por los Señores del dicho Consejo fue tassado à tres marauedis cada pliego de vn libro, intitulado, *De pœna Parricidij*, compuesto por el Licenciado Ioan de Solorçano Pereyra catedratico de Codigo en la Vniuersidad de Salamanca: y al dicho precio y no mas mandaron que se venda el dicho libro, y para que se sepa el precio del se pōga esta fe de tassa al principio ò fin de cada cuerpo del dicho libro. Y para que dello conste di la presente en Valladolid a veinte y nueue dias del mes de Otubre de mil y seiscientos y cinco años.

Francisco Martinez.

SVMMA PRIVILEGII.

CAVTVM est Regis nostri diplomate, ne quis intra decennij metas Tractatũ de Parricidij crimine Licentiati Ioannis de Solorzano Pereira, absq; ipsius auctoris permissu typis mãdare, vel venundare possit, qui secus fecerit, pœnis subdatur legibus Hispanis indictis, & eodem diplomate latius comprehensis. Datum Vallisoleti. 4. die mensis Aprilis anno 1605.

Joannes de Amezqueta.

APPROBATIO.

LIBELLVM hunc de Parricidij crimine Licentiati Ioannis de Solorzano Pereira, publici apud Salmanticenses Cæsarei iuris interpretis, supremi senatus iussu, quâ potui curâ & diligentiâ perlegi, & nihil in eo quod vel Christianæ religioni, vel bonis moribus aduersetur, offendi: quin potius multa, quæ & nouitate delectent, & tùm in foro, tùm maxime in scholis vsui esse possint, & auctoris ingenium, variamq; eruditionem ostendant, & dignum opus faciant, vt in communem studiosorum vtilitatẽ edatur. Vallisoleti. 14. Martij, Anno 1605.

Licentiatus Molina.

ILLVSTRISSIMO,
ET REVERENDISSIMO D. D.
IOANNI BAPTISTÆ AB AZEBEDO, PRÆSVLI Vallisoletano, Regis nostri potentissimi à consilijs, & causarum Fidei summo maximoq; Præfecto. Ioannes de Solorzano Pereira I. C.
S. P. D.

SIMVLACHRVM *Apollinis, Tyrij; Martis, Lacedemonij; Victoriæ, Athenienses, vt hæc, quæ sibi optabant tutelaria numina, modis omnibus conciliarent, & perpetuam eorum præsentiam, & auxilium nunquam defuturum cõsequerentur, basi columnæ cui insistebat, aureis catenulis & compedibus alligabant. Ego te (Illust. & Reuerend. Domine) quem aueo studiorum meorum fauitorem habere, cùm beneficijs & meritis nequeam, obsequijs obstringo, & nomen aut numen tuum in fronte huius libelli, (quem velut in gustum mearum lucubrationũ exhibeo) typis æreis affigo, & quibus possum vinculis (precibus nempè) tantum mihi patrocinijũ*

¶ 3 adesse

adesse compello. Tu audaciæ ignosce, & ex sublimi hoc loco, in quem te non ambitio popularis, nec vestis creta candida, sed vitæ candore, & virtute præfulgens, & spectata inter bonos probitas, nobilitas, religio, prudentia, eruditio, mansuetudo & comitas insignis euexit, hominem respice non minus tuum, quàm si librâ fuisset mercatus & ære, præstaq; vt studia mea, quâ tibi voluntate dicantur, eâdem à te iuuari, & videant omnes, & inuideant simul, tantoq; magis præsta, quanto magis potes, pollesq;. Neq; exiguum huius libelli munus, quod tibi non referendæ, sed testandæ tuæ in me & meos gratiæ libentißimè offero, à summo, quem geris magistratu alienũ existimes. Nam tibi qui de impijs cognoscis, pietatis paternæ reos, & supplicia quibus subduntur, non ineptè tradere videor, cùm teste Valerio, parentum pietas tantùm non æquetur diuinæ, & quæ nunc parricidis imponitur pœna, olim in sacrilegos cœperit, quod pari vindictâ, Parentum ac Deorum violatio expianda videatur.

Vale. Li. 1. c. 1. & li. 5. c. 6. in princ.

Vale.

LECTORI MEO SALVTEM DICO.

MAGNAM huius tractationis partẽ (Candide lector) quã nunc bonâ (vtinam) scæuâ in publicum mãdo, ex stato, solemnique almæ huius Salmanticẽsis Scholæ more, annis superioribus, pro obtinendâ licentiæ laureâ, non sine audientium patrũ adprobatione publicè recitaui. Sed cum neque omnia tunc dici angustiæ temporis paterentur, & tempus etiam ipsum, studium iuge, & asidua variorũ librorum lectio plurima (vt solet) alia nobis obtulerit, quibus antiquum illud opus ornari magis, & condiri potuisset, & quæ in cullei supplicio, parricidis irrogato, latent mysteria, præter alios interpretes reserari, non sum passus, quæ dixi dudum, quæ tacui, quæ etiam posteà obseruaui, & obseruata in libri formam digessi, diutius in vmbraculis domesticis contineri, & fœtũ hunc animatum iam, quin & maturum, & prodire foras nitentem, lucæ priuari. Præsertim cùm me quoque dicant vatem pastores, & otij & silentij rationem requirant ab homine aliquâ facultate prædito, aut certè his litteris initiato, gymnosophistarum legem laudantes, apud

quos.

quos imprāsus ad opus extrudebatur, qui nihil cur pranderet adduceret. Sat scio non defuturos, qui melius fuisse dicant, otiosum esse, quàm nihil agere, hoc est, quàm inaniter vexari, difficiles nugas habere,& quod ait Seneca, *Ingenium inter irrita exercere, & disputationibus nihil profuturis otium terere*, verùm si hoc stultitia est, plures, vt cum Cicerone loquar, stultitiæ huius reos domestico præconio colligere possum. Neq; video cur concessam omnibus vel correptam iam vindicatamq; quiduis audendi, quiduis scribendi libertatem, mihi adsumere non deberem. Sed quoniā aliud stultitiæ genus videtur exemplis errantiū patrociniū sibi mutuare,& cōtra id quod Cato Albino respondit, culpam malle deprecari, quàm culpâ vacare, nego alienam me,& Iuris professore indignam, prouinciam suscepisse, nego libellum hunc, quem quasi præcursorium interim dum moliuntur alij, dum comuntur, emitto, in rebus inanibus, & nunquam vsui futuris versari, cum multa contineat, quæ ad puram putam iuris prudentiam spectant, multa quæ in foro quotidiè, plurima quæ in Scholis tractari & solēt & possunt, & ab alijs aut omissa, aut nusquam vt oportebat ex posita reperiūtur. Itaque te moneo, lector, ne prius lucubratiunculam istam carpas quàm capias, ne negligas antequā legas, plus enim in recessu quàm infronte vtilitatis& voluptatis habituram spondeo. Vale.

D. GASPARIS DE SALCEDO de libro, & libri auctore, præceptoreq; suo Epigramma.

QVid canis, & gallus, quid simia, culleus, anguis?
Exitij insuetum quid rear esse genus?
Exulet ut terris furor hic? Ubi tigridis ungues?
Tauri ardor? sanies aspidis? ora leæ?
Congruat ut sceleri, victuro, pœna, libello,
Differis ò nunquam, digne Pereira mori,
Iuris inaccessi mysteria condita pandis,
Atq; tuâ lis est arte diremtâ grauis,
Nam dum quæ potior Themis, & facundia certant
Utraq; uincit ais, Pax, sit utriq; locus.

ALIVD IN LIBRI ETIAM ET præceptoris sui conmendationem D. Ioannis Oñate & Ribadeneira.

SVpplicium bis sex nullum statuere tabellæ
Nati, aut cæde patris queis maduere manus.
Instar enim monstri scelus hoc lex blanda putauit,
Sed ruit humanus crimen in omne furor.
Occidit absumtus per tela paterna Learchus,
Scindit Ithym Progne, flet sua fata Pelops.
Hinc sacra fulmen habent iura, & fera corda coercent,
Tempore sed nostro; lex pia tolle minas,
Hoc si habuisset atrox, opus immortale, uetustas
Nulla fera exuuias tot tribuisset aquis.

¶¶ D. Ioan.

D. IOANNIS TRVGILLO I. V. S. in Præceptoris sui, & libri ab eo editi laudem. Carmen.

Fertilis auratos redimitus arundine crines
Nilus, cùm vitreas in mare voluit aquas,
Labitur, AEgyptiq; ambit septemfluus agros,
Arida fœcundis imbribus arua replens.
Tunc sata pulchra vigent: tunc pinguia prata virescunt:
Tunc aperit virides florida terra sinus:
Rosida frondentem pingunt violaria campum,
Et nitidâ exornant Myrtea serta comâ.
Non aliter dum pandis opes, Solorzane, mentis,
Ingenio illustras Romula iura tuo,
Ardua dum celebris reseras glossemata legis,
Qua placidum præstas te duce ferre viam.
Nostra immortali decorasti secula laude,
Dans solus facili, iura adeunda manu.
Omnia luce nouâ (mirum) radiata patescunt,
Dum tuus expellit, nubila densa nitor,
Diuite iam nostro nihil est felicius æuo,
Panditur Hesperio Gaza beata solo.
Solus inexhaustas felici mente recludis,
Cæsarei dextro sydere iuris opes.
Sola tua exuperant ditata volumina quidquid
Olim facundæ composuere manus.
Quidquid Roma tulit, celebrataq; carmine virtus,
Iam silet, atque tuos corruit ante pedes.
Sic tua perpetuâ florebit gloria laude,
Ipsa tuis etenim gloria rebus inest.

INDEX

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI.

Cat.

¶¶ 3. testi-

INDEX CAPITVM
LIBRI SECVNDI.

De

qui

LEGVM, QVÆ IN HOC LIBRO EX PROFESSO DECLARANTVR, ET EXORNANTVR VERBA.

Lex Pœna penult. D. ad l. Pomp. de parric. Modestin. lib. xij. Pandect.

POEna Parricidij, more maiorũ hæc instituta est, vt parricida virgis sanguineis verberatus, deinde culleo insuatur cum cane, gallo gallinaceo, & viperâ, & simiâ: deinde in mare profundum culleus iactetur, hoc ita si mare proximum sit: alioquin bestijs obiicitur secundùm Diui Hadriani cõstitutionem. Qui alias personas occiderint, præter patrem & matrem, & auũ & auiam, quos more maiorum puniri supra diximus, capitis pœna plectentur, aut vltimo supplicio mactantur.

Lex vnica, C de ijs, qui paren. vel libe. occiderunt. Imp. Constantinus A. ad Verin. Vicarium Africæ.

SI quis parentis, aut filij, aut filiæ, aut omnino affectionis eius qui nuncupatione Parricidij continetur fata præparauerit: siue clam, siue palam id enisus fuerit, pœnâ Parricidij puniatur: & neq; gladio, neq; ignibus, neq; vlli alij solemni pœnæ subiugetur, sed insutus culleo, cum cane, gallo

gallo gallinaceo, & viperâ, & simiâ, & inter eas ferales angustias comprehensus, serpentium contuberniis misceatur: & vt regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnem proiiciatur, vt omni elementorum vsu viuus carere incipiat, & ei cælum superstiti, terra mortuo auferatur. D. xj. ka. Decemb. Licinio V. & Crispo Coss. Accep. prid. Id. Mart. Chartaginæ Constantino A. V. & Licinio Cæs. Coss.

Iustinianus in .§. alia deinde. institut. de publicis iudicijs.

ALia deinde lex asperrimum crimẽ noua pœna persequitur, quæ vocatur Pompeia de Parricidijs, qua cauetur vt si quis parentis, aut filij, aut omnino affinitatis eius, quæ nuncupatione parentum continetur fata præparauerit, siue clã, siue palã id ausus fuerit, nec non is, cuius dolo malo id factum est, vel conscius criminis extiterit, licèt extraneus sit, pœnâ Parricidij puniatur: & neq; gladio, neq; ignibus, neq; vlli alij solemni pœnæ subiiciatur: sed insutus culleo, cum cane, gallo gallinaceo, viperâ, & simiâ, & inter eas ferales angustias cõprehensus (secundùm quod regionis qualitas tulerit) vel in vicinum mare, vel amnem proiiciatur, vt omnium elementorũ vsu viuus carere incipiat, & ei cælum superstiti, & terra mortuo auferatur. Si quis autẽ alias cognatione, vel affinitate coniunctas sibi personas necauerit, pœnam legis Cornelia de siccarijs substinebit.

ALPHONSVS NONVS cognomento Sapiens Castellæ & Legionis Rex septem Partiti iuris compilator.

Ley. 12. titulo octauo, partida septima.

SI el padre matare al fijo, o el fijo al padre, o el abuelo al nieto, o el nieto al abuelo, o a su visabuelo, o alguno de ellos a el, o el hermano al hermano, o el tio a su sobrino, o el sobrino al tio, o el marido a su muger, o la muger a su marido, o el suegro, o la suegra a su yerno o a su nuera, o el yerno o la nuera, a su suegro, o a su suegra, o el padrastro, o la madrastra a su entenado, o el entenado al padrastro, o madrastra, o el aforrado, al q̃ lo aforro. Qual quier de ellos que mate a otro con armas, o cõ yeruas paladinamente o encubierto, mandaron los Emperadores, e los Sabios antiguos que este atal que fizo esta enemiga, que sea açotado publicamẽte ante todos, e de si que lo metã en vn saco de cuero, e que encierren con el vn can, e vn gallo, e vna culebra, e vn ximio, e despues que fuere en el saco con estas quatro bestias, cosan la boca de el saco, e lancelos en la mar, o en el rio que fuere mas acerca de aquel lugar do acaesciere. Otro si dezimos que todos aquellos que diessen ayuda, o consejo, porque

que alguno murieſſe en alguna de las maneras que de ſuſo diximos, quier ſea pariente de el que aſsi muere, quier eſtraño, que deue auer aquella meſma pena que el matador. E aun dezimos que ſi alguno comprare yeruas o ponzoña para matar a ſu padre, e deſque las ouiere compradas ſe trabajaſſe de gelas dar, maguer nō gelas pueda dar, nin cumplir ſu voluntad, nin ſele aguiſaſſe, mādamos que muera por ello, tambien como ſi gelas ouieſſe dado, pues q̃ non fincò por el. Otroſi dezimos que ſi alguno de los otros hermanos entendiere, o ſupiere que ſu hermano ſe trabaja de dar yeruas a ſu padre, o de matarlo en otra manera, e non lo apercibiere dello, pudiendolo fazer, que ſea deſterrado por cinco años.

IOANNIS
SOLORZANI
PEREIRÆ PVBLICI APVD Salmant. Cæsarei iuris interpretis.
De parricidarum supplicio, & personis quibus imponitur.

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM. *In quo præfationis loco, plurimis & Iurisconsultorum, & bonorum Autorum non vulgaribus testimonijs Reip. salutem in plectendis sontibus versari, docetur.*

TRANQVILLVM, pacatumq; omnis benè constitutæ Reipublicæ statum; exhortatione præmiorum, & pœnarum metu seruari, vt vulgaria Vlpiani, & Horatij[a] testimonia prætercam, eleganter Aristotel.[b] verbis suadetur, hæc duo efficacissima media esse; vt ciues boni efficerentur, tradentis. Et Democriti; qui (vt Plinius[c] refert) duos tantùm Deos esse constitue- bat,

a *Vlp. in l. 1. D. de iustit. & iure. Horat. 1. epist. 16.*
b *Aris. 1. Eth. c. 5*
c *Plin. lib. 2. nat. hist. c. 7.*

bat, Pœnam, & Beneficium, quæ etiam pro Dijs apud Assyrios colebantur. Inde optimè Cicero [d]. *Summum* (inquit) *rectè factis maiores nostri præmium, plura peccatis pericula esse voluerunt*, & cùm lasciuientis naturæ vitio, homines in peiora frequentiùs laberentur, iustissimis sanè de causis, in his Iurisconsultorum responsis, & Imperatorum rescriptis, quæ omnes vbique gentes non minus quàm ea venerantur *Pithia quæ tripode ex Phœbi, lauroq; profatur*, tot passim constitutiones sparsæ reperiuntur, quibus seuerisѕimis pœnis, interdùm etiam & leuioribus (prout delicti ac maleficij qualitas tulerit) sontes puniri, illiq;, qui à recto virtutis tramite deuiarint, coërceri iubentur. Nihil enim aduersus petulantiã & iniustitiam magis, quàm castigatio, & animaduersio conuenit, &, vt capitalibus pœnis, exilijsq; quibusdam, quemadmodum Vlp. [e] scribit, communis boni gratiâ ciuitates purgentur. Sic enim & Caius ait: [f] *Pœnas ob maleficia solui magnam rationem suadere.* Et Paulus: [g] *Disciplinæ publicæ vigorem exposcere, vt illicitè facta competenti supplicio vindicentur.* Sciebat hoc celebris ille Atheniensium legislator Draco, qui vel eos, qui otij damnati forent, capite mulctandos, suis legibus sanxerat, quas non immeritò Demades orator (vt Cælius & Alex. [h] commemorant) non atramento sed sanguine scriptas esse dictitabat, & Aristotel. [i] non hominis, sed verè Draconis esse, asseuerabat. Sciebant & antiquissimi homines, qui vt Plato in Rhet. refert, Rhadamantum (quò magis peccandi licentiam cohiberent) noxios, & criminis alicuius reos in Tartarum, quò delictorum meritas pœnas penderent, tradebant dimittere. Sciebant denique prisci illi, & omni semper memoriâ recolendi

d Cicer. pro Cluēt.

e Vlpia. in l. congruit. 13. de offi. præs.

f Caius in l. si à reo. 71. §. fin. de fideiuss.

g Paul. in l. licitatio. 9. §. quod illicitè. D. de publi. & vectig.

h Cæl. Rhodig. li. 11. antiq. lect. c. 3. Alex. genial. 3. cap. 5.

i Arist. li. 2. Rhe.

lendi Heroes, qui diuersis gentibus Nomophilaces extiterunt, benèque ac rectè viuendi tradiderunt normam; quorum in tabulis nemo est qui nesciat, varijs suppliciorum generibus, delinquentium audaciam compesci, eosq; qui statutam ac præfinitam legibus metam transilirent, puniri. Vnde legis latores illos pro Dijs habitos, & tanquàm cælestia numina veneratos, commemorant plures [l]: quippe cum lex nihil aliud sit, vt Demosthenes à Martiano relatus [m] scribit, quàm *Inuentio quædam & donum Dei: correctioq; voluntariorum; & non voluntariorum peccatorum*; eiusq; virtus Modestino, & Quintiliano [n] testibus, vt plurimùm in puniendo consistat. Hinc in libris de Rhetor. Plato. *Qui iniusta*, inquit, *perpetrat pœnas luit; & qui rectè puniunt, iustitiâ quâdam freti puniunt, pœnaq; iusta iustiores efficit, tanquàm medicina quædam improbitatis*. Quò respiciens Cicer. [o] malorum punitionem, necessitatem potius quàm voluntatem esse (quod Plato [p] etiam ipse antea docuerat) his elegantissimis verbis ostendit: *Quemadmodum in corpore, si quid huiusmodi est, quod reliquo corpori noceat, vri ac secari patimur, vt membrorum aliquid, potius quàm totum corpus intereat, sic in Reip. corpore, vt totum saluum sit, quidquid est pestiferum amputetur*. Neq; minus eleganter Clemens Alexan. [q] ita in eandem sententiam scribit: *Lex eorum, qui ei parent curam gerens, ad pietatem in Deum instituit, & dictat ea quæ sunt facienda, & propulsat omne peccatum, pœnas imponens his quæ sunt mediocria; cum autem viderit aliquem ita se habere, vt videatur immedicabilis, vt potè qui ad extremam prouehatur iniustitiam, tunc aliorum iam curam gerens, ne ab ipso corrumpantur, tanquàm aliquam partem à toto corpore resecans, sic eum, qui est huiusmodi, occidit saluberrimè.*

l *Cæl. Rhodig. li. 18. ant. lect. c. 19. Mateacius de via & rat. iur. lib. 1. cap. 23.*

m *Martian. in l. 2. de legibus.*

n *Modest. in l. legis virtus. de leg. Quintil. 7. inst. orat. c. 6.*

o *Cice. in 8. Philippic.*

p *Plato lib. 9. de legibus.*

q *Clem. Alex. li. 1 stromat.*

[r] In extrauag. de pœnis.

Est enim (vt Ioann. Pontifex ait[r]) *compescendi malorum audacia, Vt saltem pœnæ formidine retrahantur à noxijs, sicq; boni sectando virtutem meliores effecti, non cogantur cum illis perire*; Et in puniendis sceleribus, non solùm delinquentis ipsius qui pœnâ afficitur, sed reliquorum quoque contemplatio adhibenda, vt ex Philosophorum scholâ Alexand. Neap. aduertit.[s] Nam delictum, quo impunitius, eo effrenatius fit: atque adeò ne serpat insitum illud & radicatum in naturâ malum, & peccandi consuetudine in ferocem, & belluinam erumpat audaciam, curandum est maximè (quod Pontifices aiunt[t]) *Vt quos Dei timor à malo non reuocat, temporalis saltem pœna cohibeat à peccato*: & vt alma ciuilis iustitia, delinquentes coërceat, & illecebram veniæ, & impunitatis spem, à Republicâ exterminet: ciuitatesq; ac populos ceu Herculeâ clauâ, Lernæis nocentium monstris expurget, & liberet. *Malum enim* (vt ait Cassiodor. lib. 3. Var.) *cùm perseuerat augetur, & remediabile bonum est in peccatum, accelerata correctio*. Vnde nostrarum legum autores maximè conducere inquiunt[v], ne delicta maneant impunita, & non immeritò M. Tullius[x] crudeles in patriam appellat iudices, qui facinorosis hominibus delicta condonantes, eos, & alios ad similia, vel maiora audēdum, mouere videntur. Pœnæ enim vt Paulus, & Callistr.[y] tradunt, in emendationem, & terrorem hominum inductæ sunt, & Senecâ teste,[z] *Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur*. Quò respiciens Quint. declamat. 274. inquit: *Quoties crucifigimus noxios celeberrimæ eliguntur viæ, vbi plurimi commoueri hoc metu possint. Omnis enim pœna non tam ad delictum pertinet, quàm ad exemplum*. Atq; ita vt Moses[a] admonuit, iudices in pœnis irrogandis,

[s] d. lib. 3. c. 5. in princ.

[t] In c. vt clericorum. de vita & honest. cleric.

[v] in l. ita vulnerat. 53. ad l. Aquil. l. eum qui nocentem. 8. de iniur.

[x] Tull. 3. orat. in Catilin. & in orat. in Pison.

[y] Paul. in l. si pœna. Callistr. in l. capitalium. §. famosos. D. de pœn.

[z] Senec. lib. 1. de ira. circa fin.

[a] Moses Deut. 1.

gandis, nihil pertimescere debet; *quia iudicium Dei est*; non enim lex; non iudex delinquentes punit, (vt & Iuris Doctores [b] declarant) sed ipsum delictum publicâ satisfactione culpam expiat, & tanquam debitum dissoluit. Quinimo vt Diuinus Psaltes [c] testatur, Deus ipse personam iudicis peragit. Quamobrem non absque ratione Lacedæmonij cuiusdam apophthegma laudatur, [d] apud quē, cùm Charillus rex summis laudibus efferretur, quomodo, inquit, bonus est, qui ne in malos quidē acerbus sit? Verendum est namq; *ut* (vt in Iugurt. tradit Sallust. [e]) *ignoscenda malis, bonos perditū eamus*. & vt ait Ambrosius: [f] *Nocentes absoluendo, innocentes tradamus exitio*. Nam vt inquit Saluianus lib. 7. de guber. Dei. *Potestas quippe magna, & potentissima, quæ inhibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari.*

b *Doctores post glo. in l. cum probatio. C. de probi.*

c *Psalm. 57.*

d *Plut. in Laco.*

e *Sallust. in Iug.*

f *Ambros. 1. officio. Faciunt alia quæ tradit Ioan. Neuiz. in Sylua nup. lib. 1. à nu. 71. Guillel. Bened. in c. Raināt. verbo. mortuo. el 1.*

CAPVT SECVNDVM.

Quæ deterioris exempli sunt, vindicari seuerius debere. Pœnas non tam in delinquentium vindictam, quàm in aliorum metum & emendationem induci. Indè interdum & animalia puniri, & nouis facinoribus noua supplicia excogitari; atque adeò leges meritò in parricidas sæuire.

SOLENT autem & debent interdum, quorundam maleficiorum supplicia exacerbari, quoties, nimirum, multis personis grassantibus exemplo opus sit, vt disertè Claud. Saturninus scripsit [a]. Nam cùm ex Iuuenal. [b] sententiâ, *Dociles imitandis turpibus ac prauis omnes simus*; & vt Cicero inquit [c]; *duo nos maximè moueant, exemplum & similitudo*, quæ

a *Claud. in l. aut facta. 16. §. fi. D. de pœn.*

b *Iuue. Saty. 14.*

c *Cic. li. 3. de ora.*

quæ perniciosis exemplis hominum animos & men-tes inficiunt, exemplaribus quoq; supplicijs, & gra-uioribus pœnis eradenda, & auerruncanda fuerunt: & omni studio nitendum, vt (quod olim in deci-matione fiebat[d]) metus & horror omnibus inijcia-tur, pœna verò ad paucos perueniat. Vnde passim apud Terentium seuiores istæ animaduersiones exẽ-pla vocantur, quæ eadem Græci, vt Cælius[e] tradit, παραδείγματα dicũt: & apud nos quotidie, hanc etiã ob causam, mortua iam delinquentium cadauera, quibus tamen, vt ille dixit, terram ignibus misceri, nihil interest, in cineres verti, vel secata in frusta, vulturibus mãdẽda mandari videmus, vt metu simi-lis pœnæ, in se reliqui tam immane spectaculũ veriti, ab eisdem facinoribus arceantur. Nam vt rectè ait Optatus Mileuit.[f] *Vt terreatis viuos, malè tractetis & mortuos*, & Quintil.[g] *Non satis putauerũt maiores eas pœ-nas constituere, quas posit aliquis excipere in vita: multos magis tangit sepultura: ad cogitationem post se futurorum, ple-riq; grauius mouentur.* Cuius rei cùm multa litterarum monumentis testimonia prodantur; illud tamen prò cũctis adduxisse iuuabit, quod ex historijs Græcabi-cis Agell. & Leonic.[h] de Milesijs virginib⁹ retulerũt, quæ à furore quo percitæ voluntariam morte oppe-tebant, non destitere prius, quàm Milesiorũ decreto quæ postea se suspendio conficerent virgines, cum eodem laqueo, quo essent præcinctæ, nudato corpo-re, per fori medium iussa palàm efferri, alias tam in-honesti funeris pudore, ne sibi postmodum violẽtas manus inijceret, terruerunt. Addo bruta quoq; ani-mantia, licèt ratione, & inferendæ iniuriæ potestate carentia[i], non solùm vt facti memoria aboleatur, vt nostratibus legibus continetur[l]; sed vt comissi erga

scele-

d De qua plurima ex Liuio, Plut. Dionij. & alijs tradit Tiraqu. de pœn. temp. causâ 47. Pet. Fab. lib. 1. semest. c. 18. Iustus Lip. de milit. lib. 5. dialog. 18.

e Cæl. Rodigi. lib. 6. lect. ant. c. 14.

f Optat. Mile. li. 6

g Quintil. declam. 274.

h Agelli⁹. lib. 15. noct. Attic c. 10. Leonicus de var. hist. lib. 2. c. 18. & alia tradens Menoch. de arbit. cas. 285.

i l. . D. si quadr. pauper.

l l. 2. tit. 21. part. 7. Bald. in l. 3. n. 36. de iurid. c. hoc ipsum. 33. q. 1. c. mulier. 15. q. 1. Mant. singu. 15. num. 3.

ſceleris pœnas perſoluãt, & quod magis eſt, vt alijs timorem iniiciant, aliquando puniri ſolere. Nam Moſaico iure[m], iumentum ſi hominem interfecerit, lapidibus occidi iubetur, & Guido Papa[n] ſe vidiſſe porcum furcâ ſuſpenſum ſcriptum reliquit, quòd puerum comediſſet. Quin & Plinius[o] autor eſt: *Polybium cum Scipione in Africa, leones homicidas crucifixos vidiſſe, quia cæteri metu pœnæ ſimilis, abſterrerentur eâdem noxâ.* Et quod plus eſt, cædes ab inanimatis factas Athenis in Prytaneo iudicatas teſtatur Demoſth. cõtra Ariſtocr. Et ſtatua Niconis, autore Suda quòd ruẽs hominem viuũ oppreſſiſſet & extinxiſſet, rea cædis ab interemti heredibus acta, damnata & in mare demerſa eſt. Quod nõ prorſus à ratione abeſſe conſiderat Forner. lib. 1. ſelect. c. 10. Ergo cùm (vt apud Agellium[p] Sextus Cecilius dicebat) *Acerbitas vlciſcendi maleficij benè atque cautè viuendi diſciplina ſit*, & vt Cic.[q] inquit: *Salutaris ſeueritas vincat inanem ſpeciem clementiæ*, quid mirum ſi præfractos hominum mores leges compeſcant? & in eos vltore gladio conſurgant, qui non minus exemplo quàm peccato nocẽt? Quid ſi flammas, cruces, beſtias, & atrociora interdum ſupplicia minentur[r]? Quid deniq; ſi pœnæ quæ delictis ſemper debent eſſe conformes[s], auctis ſceleribus augeantur? cùm ſapienter hoc ſicut cætera Pythagoras[t] dixerit: *Eos qui malos non puniant, velle bonis iniuriam inferri.* Et cùm aliter Reipub. ſalus conſiſtere nequeat, hominibus in homines, ferrum, venenum, & inſidias quotidie parantibus, & à concordiâ, quam bruta ſemper inter ſua genera ſeruãt, deſciſcẽtibus, vt optimè poſt Plin. Iuuenalis[v] deplorat.

Sed iam ſerpentum (inquiẽs) *maior eſt concordia: parcit*
Cognatis maculis ſimilis fera. Quando leoni

Fortior

m *Leuit. cap. 21. Exod. 20.*
n *Guid. Papa. deciſ. 238. Pet. Herod. lib. 3. decr. titul. 16.*
o *Plin. lib. 8. naturalis hiſt. c. 16. cuius verba refert & explicat Lipſi⁹ 1. de cruce. c. 5.*
p *Agell. libr. 20. noct. Attic. c. 1.*
q *Cic. epi. ad Bru.*
r *l. aut damnum. §. hoſtes. & §. quicunq. l. capit. in princip. & in §. famoſos. & §. qui ob inimicitias. l. ad beſtias. D. de pœn. l. 2. C. de falſa mon. cum latè traditis ab Alex. 3. gen. 5. Cœlio 1. lect. c. 5. Valerio Max. lib. 9. c. 2. Petr. Fab. 1. ſem. c. 18. Petr. Greg. lib. 31. Syntag.*
s *l. reſcriptum. 6. de his quæ vt indig. Meno. quæſ. 90. nu. 38.*
t *Pitag. refert Laerti⁹ in eius vita.*
v *Pli. in proem. li. 7. Iuue. ſatyr. 13.*

Fortior eripuit vitam leo? quo nemore vnquam
Exspirauit aper, maioris dentibus apri?
Indica tygris agit rabida cum tygride pacem
Perpetuam: sæuis inter se conuenit vrsis,
Ast homini ferrum lethale &c.

Vno itaque ex homine, plurima homini sunt mala: vnus adeò præceps in omnia flagitia fertur, vt parentibus ipsis (quibus Platone [x] testante, nullum apud Deos magis honorandum simulachrum inueniri potest) non parcens, ita atrox, horrendum atque immane scelus inuenerit, vt quamuis in eo puniendo prudentissimi quique legum latores inuigilauerint, nunquam tamen dignas tãto maleficio, & tam perniciosi exempli crimine, reperire potuerint pœnas. Nam vt eleganter Cicer. [y] *Si id quod præclarè à sapientibus dicitur, vultu læditur pietas, quod supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipsum si res postularet, iura diuina atq; humana cogebant?* Nemo igitur miretur, si nouo delicto nouã & inauditam Romani pœnã excogitauerint. Nemo culleum, verbera, & serpentium cõtubernia queratur. Nemoq; vt Cic. [z] inquit: *Parricidæ supplicio misericordiâ commoueatur*. Nã neq; faciliori pharmaco, potuit huic morbo mederi, & quos natura ipsa in officio retinere nõ valuit, ij magnitudine pœnæ, maleficio submoueri debuerunt. Et, Platone [a] teste; *Si possibile esset, sæpius aliquem mori, iustissimum esset, sæpius parricidam occidi.* Præsertim cùm verissima sit illa Maximiliani Imp. (quam refert Mantua [b]) sententia, à quo cùm pro quibusdã, quos rotæ supplicio affici iusserat, aulici quidam, vt mitiùs plecterentur contenderent, nusquam tamen id impetrare potuerunt, quòd diceret, multos homines barbaros & insolentes, non mortem sed mortis genus

x *Plato lib. 11. de legibus.*

y *Cic. in orat. pro Rosc. Amer.*

z *Cice. 4. Tuscul.*

a *Plato dial. 9. de legibus.*

b *Mant. sing. 16. num. 3.*

genus formidare solere. Et vt præclarè Symmach. ait.[c] *Tantū denuò legibus seueritatis addendū est, quantùm flagitia creuerunt.*

c Symmach. li. 2. Epist. 13.

CAPVT TERTIVM.

De parricidij nomine & ortographia. Qui olim, qui hodie parricidæ dicantur? De parricidij quæstoribus & eorum officio & origine plura. Vulgata Pomponij *I.C. lectio contra aliquorum emendationem asserta. Festus Pompeius ex Scaligeri sententià correctus.*

HIs ita de huius seuerissimæ pœnæ imponendæ ratione generaliter prælibatis, ante quàm specialem eius tractationem aggrediar, necessarium duxi, de parricidis acturus, ipsius nominis etymon in limine declarare. Olim igitur parricidæ, nō hi modò, qui parentes vitâ priuassent: sed & qui qualemcumque hominem occidissent, appellabantur: quod & Festus Pompeius testatur[a], & Plutarch.[b] dū scribit, Romulum homicidium omne vocasse parricidium; neq; de eo, qui patrem occidisset aliam tulisse legem: quòd illud impium & nefarium, hoc impossibile iudicaret. Quin & lege Romuli idem satis apertè significatur, quæ, vt Balduin.[c], & Iustus Lipsius ostendunt, his erat verbis concepta, *Parricidas omnes capite puniunto.* Et aliâ Numæ Pompilij, quæ veluti in superioris interpretationem lata, ita (si Festo[d] credimus) scripta erat: *Si quis Hominem liberum dolo sciēs morti duit, parricida esto.* Quo eodem sensu lege Tribunitiâ primâ, quam Brisson[e] & Ræuardus referunt, cauebatur. *Si quis eum, qui eo plebis cito Sacer sit, occiderit, parricida ne sit,* id est homicidij crimine non

a Festus Pomp. in verbo Parrici.
b Plutar. in Romul.

c Balduin. ad ll. Rom. c. 11. Iust. Lip. ad leg. Reg.

d Festus vbi sup.
e Brisson. libr. 2. de formu. pag. 154
Ræuard. ad. ll. 12. tab. c. 3.

teneatur. Vnde non improbabilis videtur eorum[f] sententia, qui inde Parricidam dictum existimāt, quasi qui parem, hoc est alterum hominem occiderit. Neque ratio scribendi quorumdam[g], qui *Parricidæ & parricidij*, nomina, simplici tantum. r. pingere solent, & pronuntiare. Quamuis ego præstantissimos alios viros sequutus, receptam, & veterum librorum exemplis probatam ortographiam immutandam non censeam. Sed & quòd parricidæ antiquissimis istis legibus, quarum mentionem habuimus, capite puniri cœpissent, in causâ etiam fuit, vt parricidæ appellatio, translatitiè ad eos omnes extenderetur, qui crimina, capitali supplicio vindicanda, patrassent. Nam & quâdam lege xij. tab. cuius verba Cicer.[h] refert, ita cautum erat, *Sacrum, sacróve commendatum, qui clepserit, rapseritve, parricida esto*. Et eos, qui vt capitalibus quæstionibus præessent, eligebantur, generaliter quæstores; siue vt Asconius[l] ait, quæsitores parricidij vocarunt. Inde Festus[m] Pompeius *Parici quæstores appellabantur* (inquit) *qui solebant creari causarum capitalium quærendarum*. & Pomponius[n] & Fenestella quæstores à populo constitui solere tradunt, *qui capitalibus rebus præessent: qui appellabantur quæstores parricidij, quorum etiā meminit lex xij. tab.* Quo in loco Pomponij, legendum quidam ex Festo *parici* non *parricidij* arbitrantur, & hos quæstores Paricos dictos fuisse sibi persuadent. Contra quos tamen eruditissimus Iosephus Scaliger[o], omni opere vulgatam lectionem retinendam, quin & apud Festum etiam reponendam, contendit. Rursus, quam laudat, Pomponius xij. tab. Legem, nullibi reperiri, præstantissimus Iacob. Cuiac.[p] aduertit. Et verò constat, multis post reges exactos & receptas xij tab. annis in

f *Refert Balduin. sup. Barth. Zanchus in annotat. ad Sallust. pa. 46.*

g *Ita scribit Brisson. sup. & li. 14. de verbo. sign. & Pet. Ærod. lib. 8. rer. iudic. titu. 6. & Duaren. ad titu. ad l. Pomp. de parr. per abusum litteram. r. geminatā tradit, quod probat etiā Eguin⁹ Varo in. §. alia de pub. iud.*

h *Cicer. 2. de legibus. & exornat nouiss. Ant. Clarus Siluius ad ll. xij. tab. c. 18.*

l *Ascon. Pedia. 1. Verri.*

m *Festus supra.*

n *Pomp. in l. 2. §. deinde cum ærarium de orig. iur. Fenest. đ magistr. Rom. lib.*

o *Ioseph. Scali. in notis ad Festum in parrici.*

p *Cuiac. d. l. 2.*

in emergentibus causis capitales istos quæstores creari. Liuius [q] namque scribit, anno ab vrbe condita cccxl. plebem Cosso & Medullio consl. Posthumianæ cædis quæstionem, de populi consensu mandasse. Et apud eundem [r] aliquot post annos, Capuæ de occultâ quâdam principum coniuratione, Dictatorem quæstionibus exercendis C. Mænium dici placuit. Quinctium quoque Terentium, anno ab vrbe conditâ DLXVII. de pecuniâ Anthiochi à Lucio Scipione captâ, & coactâ ex Petilij rogatione quærere patres eodē Liuio [s] teste iusserūt. Frequēter autem quæstores ipsi ex officio cognoscebant, vt Alex. [t] ab Alex. multis exemplis adductis ostendit, subdens eos lictorem & viatorem habuisse, eorumque iurisdictionem, posteà Triumviros capitales sibi vindicasse, quod & alij etiam auctores [x] obseruant. Sed & cùm Cornelius Sulla, vt Pomponius [y] refert quæstiones publicas de parricidio, & alijs criminibus constituisset, horum quæstorum numerum, vt faciliùs de sontibus pœnas exigeret, ad viginti propagatum, Alex. [z] & alij commemorāt. Verùm enim verò, vt in viam ex diuerticulo redeamus, licèt olim ita latè Parricidij nomen pateret, posteà tamen vt Priscianus [a] ait, qui patrem, aut matrem, vel aliam personam ex his, quæ appellatione parentum continentur, interfecissent, eo nomine notari cœperunt, licèt per abusionem, vt Quint. [b] his verbis ostendit *Et parricida matris quoque aut fratris interfector, quod abusio est.* Inde Horatius [c] *Telegoni iuga patricidæ* & Cicer. [d] *Patrem, inquit, vitâ priuare per se scelus est: Saguntini, qui parentes quos liberos emori, quàm seruos viuere maluerãt, vitâ priuarunt, parricidæ fuerunt?* Diuus quoq; August. [e] *in ipsis (ait) parricidijs, quanto propinquiorem quisque*

q *Liuius decad. 1. lib. 4.*

r *Idem decad. 1. lib. 9.*

s *Idem decad. 4. lib. 8.*

t *Alex. 2. genial. ca. 2.*

x *Zass. Cuiac. & alij d. l. 2.*

y *Pomp. d. l. 2. vers. deinde. Cornel. de orig. iur.*

z *Alex. sup. Vbi Tiraq. in additio.*

a *Priscianus libr. 2. de ling. lat.*

b *Quin. li. 8. inst. ca. 6. & Alciat. libr. 4. de verbo. sign. in princ. & Charitius libr. 4. de Catachresi loquens. & Ioan. Bellon. de figur. iur. figur. 16.*

c *Horat. 3. car. od. 29.*

d *Cicer. in parad.*

e *D. Augu. libr. vni. de patien.*

que peremerit, tanto iudicatur immanior. Interdum etiã ad fratrum interfectores hoc nomen, sed cum adiũcto porrigi cœpit Cicer.[f] *in ipso fraterno parricidio nullũ scelus prætermissũ videtur.* Liuius[g] *in eá cœnâ dicitur venenum datum, poculo epoto extemplò sensit, & mox coortis doloribus in cubiculum recepit sese, crudelitatem patris conquerens, parricidium fratris*; interdum & sine adiuncto: vnde Diu⁹ Hierony.[h]: *Imperator* (inquit) *vnus, iudex vnus prouinciæ, Roma vt condita est, duos fratres non tulit, & parricidio dedicatur.* Nonnunquam etiam, quòd patria, patriæque Principes paternâ veneratione coli debeant[i], qui in eos aliquid moliuntur, parricidæ appellantur. Sic Cicer.[l] *Potest cuiquam vtile esse fœdissimum parricidium patriæ.* Sic Sueton. Valerius, & alij, quos plenè diligentissimus Brissonius[m] congessit, Cæsaris, & aliorum Romanorum Impp. interfectores, passim parricidas appellant. De quo tamen ego pluribus alio loco tractabo, nunc hæc adduxisse sufficiet, quibus ni fallor non ineptè expositum manet, latè patentem Parricidij appellationem, strictioribus terminis iam hodie conclusam, & vt plurimũ parentum occisoribus applicatam.

f *Cic. pro Cluent.*
g *Liui. lib. 40.*
h *D. Hier. Epist. 4. ad Rusticum in capite in apibus 7. q. 2.*
i *L. veluti de iust. & iur.*
l *Cicero. 2. Philip.*
m *Brisson. libr. 2. de formul. pagin. 256. & libr. 14. de verb. sign. & Tiber. Decian. 2. to. crim. libr. 9. cap. 5.*

CAPVT QVARTVM.

Solonem & Romulum nullas in parentum interfectores leges tulisse. Id meritò factum, multis & testimonijs, & exemplis ostenditur. Naturam ne suspicari quidem parricidium permittere. Leges facinora interdum non tam prohibere quàm admonere. Probibitionem & punitionẽ ad facinus inuitare.

MIRVM sanè videri non debet, proprio vocabulo parricidij nefas, olim apud Romanos caruisse, quippè in quorum mentes, vt Cicer.[a] ait, nũquam vene-

a *Cicer. Pro Ros. Amer.*

rat *futurum aliquem vllo sæculo fore, qui tam immane faci mus auderet, quod si quando auditum sit, portenti ac prodigij simile numeretur.* Atque inde Solon qui Athenienſibus, & Romul⁹ qui Romanis leges ſcripſerũt, nullã ſe peculiarem in parricidas legem tuliſſe, reſpondiſſe feruntur, [b] quòd non ſperarent, quem quam, qui tam impium maleficium committeret, extiturũ. In quo prudentiſsimum horum legiſlatorum iudicium meritò Cicero [c] laudibus effert, cùm de eo nil ſanxerint, quod anteà commiſſum non erat, ne non tam prohibere, quàm admonere facinus viderentur. Leges namque, quibus boni non egent, malos, & ſuopte ingenio in omne vitium labentes mortalium animos, nihilo deteriores, vt Diogenes [d] dicebat, efficiunt: ſed imo ad peccandum interdum alliciunt, & mouent. Quod oſtendere volens Apoſtolus, [e] legem quæ peccatum prohibeat, non dubitauit dicere, virtutem eſſe peccati. *Aculeus* (inquit) *mortis eſt peccatum: virtus autem peccati lex.* Veriſsimè omnino, nam vt D. Auguſt. [f] hæc Apoſtoli verba declarans, ſcribit *Auget prohibitio deſiderium operis illiciti, quã do iuſtitia non ſic diligitur, vt peccandi cupiditas eius dilectione vincatur.* Et ferè ſemper frequentius ea videmus committi, quæ ſæpius vindicantur, & maleficia anteà non cogitata nec cognita, ipſâ quodammodo prohibitione & punitione doceri, & inſtigari, vt in parricidij, de quo agimus, crimine vſu veniſſe Seneca [g] his elegantiſsimis verbis oſtendit, *Pater tuus plures intra quinquennium culleo inſuit, quàm omnibus ſæculis inſutos accepimus. Multò minus audebant liberi nefas vltimum admittere, quandiu ſine lege crimen fuit. Summâ enim prudentiâ altiſsimi viri & rerum naturæ peritiſsimi, maluerunt, velut incredibile ſcelus, & vltra audaciam poſitum*

b *Cicer. pro Roſci. Plut. in Romulo Paul. Oroſius libr. 5. ca. 16. Diogen. Laert. in Solone.*

c *Cicer. ſup. verſ. prudentiſsima.*

d *Laertius in eius vita.*

e *Paul. ad Corin. c. 15. in fine. Vide eundem ad Roman. ca. 7.*

f *D. Auguſt. lib. 13. de ciuit. Dei, c. 5.*

g *Seneca libr. 1. de Clem.*

præterire, quàm dum vindicant, ostendere posse fieri. Itaque parricidæ cũ lege cœperunt, & illis facinus pœna monstrauit; Pessimo loco pietas fuit postquàm sæpius culleos vidimus quã cruces &c. Et Herculès, quòd Solon, & Romulus parricidij crimen nũquam fieri posse censerent, atq; ideò impunitum suis relinquerent legibus, non omnino exemplis carere videtur. Nam & Licurgus nullam aduersus adulteros Lacedæmonios legem scripserat, cuius rei causam Spartanus quidã interrogatus, respondit, vt Plutarch.[h] recenset, minimè existimasse Licurgum, Spartæ aliquod adulterium posse contingere. Et Persæ, vt Herodotus,[i] & Ioannes Stobæus affirmant, adeò incredibile esse existimabant, quemquam in id sceleris & audaciæ prærũpere, vt parentes, à quibus vitam accepit, vitâ priuaret, vt parricidam, pro notho & spurio habendũ; suis legibus sanxerint, rati legitimam sobolẽ nihil posse in perniciẽ parentũ moliri. A quibus non longè ab fuisse pater ille videtur, cuius extat apud Valerium[l] historia, qui cùm à filio necti sibi insidias cõperisset, nec inducere in animũ posset, vt verũ sanguinem ad hoc sceleris progressurum crederet: filio in desertũ locum perducto, gladiũ quẽ secũ attulerat tradidit, ac iugulum feriendum præbuit, nec veneno, nec latrone ei ad peragẽdum parricidium opus esse, affirmans. Quo facto non paullatim sed magno impetu recta cogitatio pectus iuuenis occupauit, cõtinuoq; abiecto gladio, *Tu verò (inquit) pater viue, & si tam obsequens est, vt hoc præcari filio permittas, me quoque exupera, sed tantùm quæso, ne meus erga te amor eo sit vilior, quòd à pœnitentia oritur.* Qui sanè omnes iustissimè id sibi persuadere potuerũt, nam vt Cicer.[m] Eleganter scribit: *Profectò res tam scelesta, tam atrox, tam nefaria*

h *Plut. in vita Licur. & in apophteg. Lacon.*

i *Herodot. in Clio. Ioann. Stobæ. sermone. 44. vnde & hanc præsumtionem nonnulli ex nostris iuris autoribus probant, vt constat ex Tiber. Decian. 2. tom. crim. lib. 9. ca. 6. num. 2.*

l *Valer. Maxim. lib. 5. ca. 9. in fin.*

m *Cicer. pro Rosc. Amer.*

ria

riâ credi non potest: magna est enim vis humanitatis: multum valet communio sanguinis: reclamitat istiusmodi suspitionibus ipsa natura: portentum atque monstrum certissimum est, esse aliquem humanâ specie & figurâ, qui tantùm immanitate bestias vicerit, vt, propter quos hanc suauißimam lucẽ aspexerit, eos indignissimè luce priuarit: cùm etiam feras inter sese, partus, atque educatio, & natura ipsa conciliet.

CAPVT QVINTVM.

Parricidij pœnam, à Solone & Romulo prudenter omissam; non minus prudenter posteà, hominibus in hoc scelus sæpe ruentibus, constitutam. Leges pro temporum varietate mutari oportere. Parricidium quis primus Romæ patrauerit? Liuij in hâc re & Plutarchi dissensio. Tulliæ, Seruij Tullij Romanorum Regis filiæ parricidiũ, & tempore & immanitate primũ videri.

LICET propter eam, quam superiori capite scripsimus causam, Romani parricidij crimen proprio nomine, & peculiari supplicio, olim destitutum reliquerint: posteà tamẽ cùm homines ab aureæ illius ætatis probitate desciscentes, in omnia scelerum portenta declinarent, & vt scitè Ouidius[a] expressit, vitâ pietate, & Astreâ terris expulsâ, vir cõiugis, & illa mariti exitio imminere, & filij antè diẽ in paternos annos inquirere cępissent: atq; ita intelligerent prudentissimi quique rerum publicarũ gubernatores *nihil esse tã sanctum, quod aliquando*, vt Cicer.[b] scribit, *non violaret audacia*, sceleris huius (proh dolor) singulare, exemplareque supplicium necessarium esse, eius frequentiâ moniti cognouerunt, & sapienter à Solone & Romulo prætermissum; non minus sapiẽter pro temporũ vicissitudine fore cõstituen-

a *Ouid. 1. metam.*

b *Cic. d. orat. pro Rosc.*

tuendum. Nam & si Symmachus[c] dicat *Leges in commune bonum procedentes, nunquam occasum pati*, verius tamen est, consenescere eas, languere interdum, & mori, vt ex optimis autoribus docet Fran. Iuretus[d], & secundùm varietatem temporum, vt Pontifex Innocen.[e] admonuit, humana quandoque statuta absque reprehensione variari. Sic enim Claudianus.[f]

- - - - - - - - - - - Priscamque resumunt
Caniciem leges, emendanturque vetustæ,
Accedumtque nouæ - - - - - -

Et apud Liuium[g], Lucius Valerius de lege Oppiâ abrogādâ agens. *Quemadmodum* (inquit) *ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ vtilitatis causâ, in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi quã aut vsus coarguit, aut status aliquis Reip. inutilem fecit: sic, quas tempora aliqua desiderarunt, leges mortales, vt ita dicam, & temporibus ipsis mutabiles esse video.* Vnde Prothei modo ipsis quoque occasionibus leges variabiles esse oportere, Sextus Cæcilius[h] Iurisconsultus non inficiatur: quin pro temporum moribus, vitiorumque, quibus medendum est feruore, & frequentiâ mutandas, aut etiam denuò ferendas esse confitetur. Quod, vt alia exempla deficerent, ipso hoc de quo noster est sermo, parricidij crimine, apertissimũ redditur, cui perniciosissimo Reipub. damno, contra Solonis & Romuli opinionem nascenti, & in dies magis ac magis pullulanti, obuiam eundum fuit, & tã pestilenti morbo cõgruo remedio subueniendũ; quæ omnia non sensisse modò, verùm eleganter etiã expressisse Paulus Orosius[i] non dilutæ auctoritatis scriptor videtur, sic inquiens. *Igitur talem Marij triumphũ, Romanamque victoriam, incredibile facinus, & nunquam antea Romanis cognitum, Romæ subitò perpetratum,*

versa

c *Symma. lib.* 10. *Epist.*

d *Fran. Iuretus in not. ad* Symm. *lib.* 2. *Epist,*

e *Innoc. in c. non debet de consang. & aff.*

f *Claudian.*

g *Liuius lib.* 34.

h *Sex. Cæcil. apud Agellium li.* 20. *c.* 1.

i *Paulus Oros. li.* 5. *hist. c.* 16. *in fine.*

versa in horrorem, ac mœrorem totâ vrbe fuscauit. Publicius quidam Malleolus, seruis annitentibus, matrem suam interfecit. Damnatus parricidij, insutusq; culleo, in mare projectus est: impleueruntq; Romani facinus & pœnam, vnde Solon Atheniensis decernere ausus non fuerat, dum fieri posse non credidit: & Romani, qui se ortos à Romulo scirent, etiam hoc fieri posse intelligentes supplicium singulare sanxerunt. Eò itaque hominum audaciâ procedente, vt neque hoc scelus intentatum relinquerent, necessitas quodammodo pœnam extorsit. Nam præter Publicium Malleolum, quem primum huius criminis autorem Orosius in supra dicto loco Liuium [l] sequutus commemorat, anno, vt Ioannes Coras. & Didacus Couarr. [m] existimant, ab vrbe conditâ DC. Lucius deinde Hostius, vt Alexand. ab Alex. & Cælius Rodiginius [n] referunt, parricidij insimulatus, pari ac Malleolus supplicio necatus, & concruciatus, pœnas rependit. Nisi magis Plutarcho [o] assentiri velimus, qui hunc Lucium Hostium primum fuisse, qui parricidium commiserit, his verbis testatur. *Ac multa sæcula visus est rectè eiusmodi iniuriam futuram desperasse: nemo enim sexcentis post annis Romæ tale facinus perpetrauit: sed post Hannibalis bellum Lucius Ostius fertur primus patrem occidisse.* Quamuis ego primam haud dubiè huius sceleris ream, & quæ crudelitate cæteros qui vsquàm fuerint parricidas superasse videtur, Tulliam, Seruij Tulli Romanorum Regis filiam fuisse censerem: quæ vt Liuius, Valerius [p] & alij tradiderunt, cùm improbâ regni cupiditate commota, patrem à Tarquino superbo cui nupta erat, interficiẽdum curasset, postquám iam immane illud parricidium commiserat, præteruehens ipsa carpento, infestis furijs agitata, supra

l *Liuius lib.* 48.

m *Corras.*1.*misc. cap.*5. *Couarr. in clem. si furios⁹ in init.* 2.*par. num.* 12.

n *Alex. libr.* 3. *gen.ca.*5. *Cælius lib.* 11. *cap.* 17.

o *Plut. in Romu.*

p *Liuius libr.*1. *Valer.lib.*9.*c.*11. *Dionys.li.* 4. *Sabelic.exẽp. lib.*3. *c.*9.*in fine Alex. lib.*2.*genial.c.*6.

ſupra patris defuncti corpus vulneribus, & plagis affecti, vehiculum duci iubere non dubitauit. Ob cuius inhumanum ſcelus & rei fœditatem, non ſolùm ſe æternâ infamiâ: ſed locum etiam ipſum cognomine ſceleris commaculauit, & breui, patris manibus ab impia filiâ pœnas exigentibus, exulare coacta, regnum malè partum amiſit. Vnde Valerius Maximus,[q] hoc crudelitatis exemplum *Tempore vetuſtiſſimum, conſcientia nefarium, voce improbum ac monſtri ſimile* appellat, & Seneca[r] infandum his verbis.

q *Valer. vbi ſup.*

r Sen. *in Octauiâ actu* 1.

---- Dedit infandi
Sceleris pœnas cum Tarquino
Tullia coniux, quæ per cæſi
Membra parentis, egit ſæuos
Impia currus: laceroque ſeni
Violenta rogos nata negauit.

Sed & ſubſcribam verba Naſonis,[s] qui poſtquam Tulliam, maritum in necem patris ſuadentem inducit, non minùs appoſitè atrocis huius criminis impietatem ita proſequitur.

s *Ouid. Naſo. 6. Faſtor.*

Regia res ſcelus eſt: ſocero cape regna necato
Et noſtras patrio ſanguine tinge manus.
Talibus inſtinctus, ſolio priuatus in alto
Sederat: attonitum vulgus ad arma ruit.
Hinc cruor, & cædes: infirmaque vincitur ætas
Sceptra gener ſocero rapta ſuperbus habet.
Ipſe ſub Exquilijs, vbi erat ſua regia, cæſus,
Concidit in durâ ſanguinolentus humo.
Filia carpento patrios initura penates
Ibat per medias alta feroxque vias,
Corpus vt aſpexit, lacrymis auriga profuſis
Reſtitit: hunc tali corripit illa ſono:

Vadis

Vadis an expectas pretium pietatis amarum?
Duo, inquam, inuitas ipsa per ora rotas:
(Certa fides facti) dictus sceleratus ab illâ
Vicus: & æterna res eâ pressa notâ est.

Sed neque exemplo hoc supremum maleficium caruisse videtur, nam litterarum etiam monumentis proditum est, [t] Eucratidem Bactrianorum regem, virtute, ac rebus præclarè gestis nulli secundum, ingenti ab Indis victoriâ partâ, triumphantem, & opimis spolijs refertum, se se in patriam, vt suis gratularetur, recipientem, filij insidijs, cui absens regni habenas dederat, exceptum, & miserè trucidatũ fuisse: nec eo scelere contentum filium, pari ac Tullia audaciâ, per corpus patris vulneribus sauciati, currum agere, &, insepultum cadauer abijcere non dubitasse. Vt sic vel ex his exemplis appareat, facilius posse summorum vitiorum, quàm virtutũ imitatorẽ reperiri, & non omnino (vt Frãc. Patric.[v] ait) contemnendã videri vocem illam quâ dicitur, *Nullum regnum sine domesticâ cæde aut parricidio esse solere.*

t Plut. in parall. Alex. supr. Bapt. Fulg. lib. 9. c. 11: in princ.

v Franc. Patric. de regn. li. 8. tit. 9

CAPVT SEXTVM.

Filiorum, qui apud varias gentes parentes occiderint, plurima exempla relatu non iniocunda. Bessi Pæoniensis parricidiũ, eiusq; vltio miraculosa. Filios non minus, quàm extraneos parentum vitæ insidiari. Accursij, & aliorum hanc in rem testimonia in medium adducta. Nationes quasdam ex more parentibus necem inferre, & alias eorum carnibus vesci, alias canibus tradere, alias è saxo deijcere. Sardonius risus vnde.

FVERVNT & alij apud omnes gentes, nationesque, qui parricidium committere neutiquam veriti, & omnia diuina, atque humana iura turbantes, pas-

ſim in antiquiorũ, & recentiorum auctorum commentarijs, non ſine execratione commemorantur. In quibus ego referendis, non eſt cur longiorem orationẽ nunc facere velim, cùm me aliorum[a] diligentia hoc labore leuauerit, & ſingulis prope noſtræ huius tractationis paginis, rerum dicendarum ordine requirente, frequens multorum mentio facienda ſit. Sed ſubijciam nihilominus aliqua parricidarum quorundam exempla, quæ vel alijs minùs cognita, vel lectoribus minùs ingrata futura fore cenſuerim. Et vt ab Hecate initium dicendi faciam; Ea, ſanguinaria quædam, vt Diodor. Cælius[b] & alij enarrant, fœmina fuit; quæ prima; quò Perſam patrem occideret, aconitum inuenit. Ptholomæum etiam ſcribit Polybius,[c] ex facinoris crimine, quòd patrem vitâ exuiſſet Philopatora cognominatum. Sed & Ardieum Pamphiliæ tyrãnum, annis iam feſſum parentem, & inſuper natu maiorem fratrem vitâ priuaſſe, locupletiſſimus auctor eſt Plato[d]. Artaxerxis item filios de interficiendo patre conſpiraſſe: Et Antipatrum matrem ſuam Theſſalonicem per materna vbera vitam deprecantem occidiſſe, Balduinus[e] noſter ex alijs recenſet. Neronis quoq; cùm alia, tùm verò Agrippinæ matris præcipuo loco à Xiphilino[f] parricidium commemoratur, quam cùm primùm occidere dolis tentaret, & impoſitam naui ſubmergere: re non ſuccedente, Aniceto occidi iuſsit, cauſatus eam ſibi inſidiatã fuiſſe, & quòd eius operâ, multa facinora perpetraſſet. Sed neque minùs impium Nicomedis ſcelus eſſe videtur, qui, vt Iuſtinus, & Fulgoſus[g] referunt, indulgentiſsimũ patrem Pruſiam Bithyniæ regem, à quo regni gubernacula viuo adhuc acceperat, immaniſſimè trucida-

a *Theat. hum. vitæ vol. 39. lib. 2. pag. mihi 3517. Rauiſ. Textor in officina. Baptiſta Fulg. li. 9. ca. 11.*

b *Diod. lib. 2. bibliot. Cæl. Rhod. lib. 11. c. 21. Corraſ. 1. miſc. ca. 5.*

c *Polyb. & ex eo Fulgoſ. li. 9. c. 9.*

d *Plat. lib. 10. de Republ.*

e *Balduin. in §. alia deinde inſt. de pub. Iud.*

f *Xiphil. ex Dio. in Nerone. latè Tacit⁹ li. 14. ann. & Philoſtr. in vitâ Apollo. li. 4. c. 12. ad fin. vbi in Ner. eleganter inuehitur.*

g *Iuſtinus pag. 290. Fulgo. li. 9. cap. 8.*

cida-

cidauit. Phraatis etiam, Horodis Parthorum regis filij detestandum facinus præteriri non potest, qui parentem cum triginta filijs, quãquam ab ipso reggni successor designatus, occidit, grauiterq; pauci temporis moram in vicino iam morti patre ferens, cùm venenum parùm proficere videretur, breuissimam interficiendi viam aggressus, propriâ manu illum præcluso spiritu (vt post Plutarc. Fulgosus[h] retulit) suffocauit. Dionysium quoq;, matrem per venenum necasse, & Leptinem fratrem, cùm in nauali prælio seruare posset, interfici passum fuisse. li. 14. de varia histor. narrat Aelian. Sed & vindicat sibi in hâc parricidarum tragœdiâ nõ vltimum locum, Caij Toranij atrocitas, qui licèt ei non ademerit vitam, qui sibi viuendi causas suggessit, dedit tamen operam, vt patrius aliorum manibus sanguis effunderetur. Namque triumvirûm partes sequutus, proscripti patris sui, prætorij & ornati viri latebras, ætatem, notasq; corporis, quibus agnosci posset, Centurionibus edidit, qui eum persequuti sunt. In quo tamen facto, quod Valerius[i] adijcit silentio inuolui non potest. Senem nempe de filij magis vitâ, & incrementis, quàm de suâ solicitum, an incolumis esset? & an Imperatoribus satisfaceret? interrogare Centuriones cœpisse. E quibus vnus: Ab illo inquit, quem tantopere diligis demonstratus, occideris: protinusq; pectus, eius gladio traiecit; collapsusq; est senex infelix, auctore cædis quàm ipsâ cæde miserior. Idem penè de Villio Annali ab eodem Valer.[l] narratur, qui cùm proscriptus ad clientem suum confugisset, sceleratus filius, per ipsa vestigia patris militibus ductis, occidendùm eum in conspectu suo obiecit, bis parricida, consilio prius,

h *Plut. in Ant. Fulgos. li. 9. c. 11.*

i *Valer. li. 9. c. 11. Apian. bellorum ciuil. lib. 4.*

l *Valer. eod. loco.*

iterum spectaculo. Telegonus etiam, vt Dictys Cretensis [m] recenset, Vlyssem Patrem qui, somniorum diritate conterritus latitabat, hastili confodit. Vnde Horatius [n] eum patricidam appellat, quamuis Homeri interpres, vt Lambinus [o] testatur, hoc à recentioribus poëtis confictum fuisse arbitretur. Ego verò, & si certum id fuerit, non tamen censeo inter impios Telegonum omnino connumerãdum, cùm in Ithacam patris amore ductus, veniens, inscius & imprudens hoc facinus perpetrauerit, luctuq; & mœrore maximo, patris morte compertâ fuerit affectus. Nec absimili ratione, excusari quoque posse Alcmæonis & Orestis parricidium existimo; quorũ ille, Eriphilem matrem, quòd Amphiarum patrem Pollinici prodidisset: hic Clytemnestram, in Agamemnonis patris ab eâ interfecti vindictam occidit. Verùm de his, & alijs similibus casibus, peculiaris alio loco nobis habendus est sermo,[p] Nunc Bessi Pæoniensis parricidium, & miraculosam eius vltionem superioribus subnectemus. Hic enim, vt ex Plutarcho Petr. Aerodius [q] scribit, cùm patrem interfecisset, crimen diu fuerat obscurum. Tandem inter cœnandum, multis vnà epulantibus, cùm superuolitassent hirundines, atq; ei præcipuè obstreperent: exilijt mensâ: baculoq; deturbans nidum, pullos in terrã proiectos, ac si furore corriperetur, pedibus iterum, iterumq; proculcat. Cùmq;, qui aderant, cur id tam inhumaniter? postularent, respondit: Iã diu in se eas falsum testimonium dicere, garrire & personare se parentem occidisse. Quibus verbis ad Principem delatis, req; omni diligentiùs discussâ, Bessus parricidij damnatus, meritas pœnas rependit, hirundinibus eum, non secus, ac Grues Ibyci

m *Dict. de excid. Troiæ libr. fin. in fin.*

n *Horat. 3. carm. Od. 29.*

o *Lamb. ad Hor. supra.*

p *Infra lib. 2. ca. antepenult.*

q *Plut. de sera nu min. vind. Petr. Ærod. lib. 4. rerũ iud. tit. 11. ca. 8.*

Ibyci poëtæ occiſſores, prodentibus, de quibus Auſonius[r] in Monoſyllabis. *Ibycus vt periit, vindex fuit altiuolans Grus*. Verùm quid ſingulos parricidas recenſeo? aut quid fruſtrà horrẽdi huius criminis reos in compendium redigere conor? cùm adeò homines (heu dolor!) humanitatem exuerint, vt non vrbs vlla, non domus, his naturæ monſtris vacare videatur. Iam in ipſum pietatis aſylum ferox erũpit audacia: iam præmaturo voto hereditatis occupandæ, omnium malorum radix auaritia, in patris fata filium impellit. Vnde rectè Ouidius[s] dicere potuit

Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Nec minùs rectè Iuſtinianus[t] filium meritò exheredatum videri *ſi parentibus ſuis manus intulerit: ſi grauem & inhoneſtam iniuriam eis ingeſſerit: ſi eos in criminalibus cauſis accuſauerit: vel eorum vitæ per venenum, aut alio modo inſidiari tentauerit*. Et alibi[v]; ideò Macedoniano Senatusconſulto prohibitum fuiſſe, mutuas pecunias eis dari, qui in poteſtate parentum eſſent, *quia ſæpe onerati ære alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam conſumebant, vitæ parentum inſidiabantur*. Ex quibus eleganter vt pleraque alia, deduxit Accurſ.[x] communiter ab alijs receptus, non magis à filijs, quàm ab extraneis, pactum ſuper patris viuentis hæreditate vtiliter fieri, cùm captandæ paternæ mortis timor (quæ fuit pacti improbandi ratio)[y] in filijs non minùs, quàm in cæteris adſit. Quod elegantiſſimè etiam oſtendit Terentius in Adelph. Sic inquiens:

Porrò autem dum ſtudeo illis vt quàm plurimum
Facerẽ, contriui inquærẽdo vitam atq; ætatem meam
Nunc exactâ ætate hoc fructi pro labore ab his fero odiũ:
Meam autem mortem expectant.

r *Auſon. in Monoſyllab.*

s *Ouid. 1. metam.*

t *Iuſtin. in auth. vt cum de appell. cog. §. cauſas.*

v *In §. penul. inſt. quod cum eo.*

x *Accur. in l. fin. verb. alienæ C. de pact. quẽ ibi Iaſ. Alex. Dec. Purpur. & alij ſequũtur & Menchaca in l. liber. num. 5. C. de in off. Tiber. Decia. li. 9. crim. c. 9. num. 13.*

y *d. l. fin.*

Faciam

Faciam igitur huic capiti finem, si prius illud pro coronide, quod superioribus admodùm conuenit, animaduerterim, quarumdam gentium, celeberrimum, & multis retro sæculis obseruatum morem viguisse, vt senio iam confectos parentes, filij perimerent, & quod belluinam supergreditur feritatem, eorum item carnibus vescerentur. Quod de Indis & Massagetis historiæ pater Herodotus[z], Strabo, & alij recensent: & de Caspijs, qui parentes vbi septuagesimum annum excessissent, domi inclusos, fame necare consueuerunt, Cælius Rhodiginus[a] testatur. Sed & Bactrianorum hâc in re crudelitas omnem fidem superare videbitur, nisi multorum auctorum [b] adseueratione confirmaretur, qui iam senio confectos parentes, viuos canibus apponebant, ad hoc ipsum de industriâ enutritis, quos ea ratione sepulchrales vocabant. Quin, & Sardis lex erat, si qua AEliano[c] fides adhibenda est, vt filij, patres, iam senectute graues, fustibus cæderent, & interemtos sepelirent: absurdum esse arbitrantes, si delirus senex vlterius in viuis ageret, in fraudemq; & peccatum, corpus senectute grandæuâ maceratum impelleretur: ridebantq; interim maximè, pereuntes parentes, se feliciter & beatè mori existimantes, quòd liberorum impietate mortem oppeterent. Vnde, vt Erasmus[d], & ex Timæo Baptista Pius[e] adnotarunt *Sardonius risus* prouerbij vice apud antiquos vsurpari cœpit.

z *Herod. libr.* 3. *Strab.li.*2 *Geog. Cæl.li.*11.*ca.*18. *Pet.Greg.li.* 36. *Syntag.c.*24.*nu.* 29.

a *Cæl.Rhod.li.*11. *lect.anti.cap.*21.

b *Cæl.sup. Alex. ab Alex.* 3.*gen.c.* 2.*Corr.*1.*mis.c.*5. *Balduin.in §.alia deinde, qui alios referūt, Tib. Decian.li.*9. *crim.c.* 15.*num.*32.

c *Ælian. de var. hist.lib.*4.

d *Erasm. Chil.*3. *Cent.*7.*adag.*1.

e *Bapt. Pius annotament.ca.*6.

CAPVT SEPTIMVM.

Parricidium qualiter fuerit ab Ægyptijs, Hebræis, Græcis, Persis, Macedonibus, Lusitanis, & alijs gentibus vindicatum? Romanos non parricidium modò, sed & verberatum à filio patrem grauiter vindicasse. Serui Tulli lex in hanc rem allata, & diligenter exposita. Quid sit plorare? quid quiritare? quid iubilare? Sacer homo quis? Quæ sacratæ leges? Sacer homo cur impunè à quolibet occidi posset? ex Macrob. Pulsati parentis pœna. Virgilij, Vlpia, & Senecæ de hoc delicto sententiæ.

IGITVR mortalibus, in hoc (vt in reliqua alia) parricidij crimen frequentissimè prorumpentibus, in tantâ huius sceleris vbertate, prudentissimè singulæ fermè gentes singulares, tanto maleficio pœnas excogitauerunt. Nam etsi Plato[a] caput Hydræ amputare eos dicat, vt est in prouerbio, qui singulis delictis, singulis legibus conantur occurrere: tamen, vt non minùs rectè Arcesilaus[b] dixisse memoratur, quemadmodum ibi multi sunt medici, vbi multi sunt morbi, ita vbi plurimùm vitiorum esset, per multas quoque leges esse oportebat. Et vt alia maleficia vel non puniri, vel remissius coerceri potuissent: hoc tamen, de quo loquimur, nouum in se & atrox, nouis quoque & atrocibus, seuerisq; supplicijs omnino vindicari debuit. Nam vt præclarè Tullius[c] inquit: *Parentes charissimos habere debemus, quòd ab his vita, patrimonium, libertas, ciuitas tradita est, quæ omnia in illorum violatione violantur*. Inde ei, qui parentem occiderit, naturæ legibus viuere non licere, Iulius Capitolinus[d] testatur; & Quintilianus[e], maximum omniũ scelus, parricidium vocat, & *cùm in huius criminis cruciatum omnia commẽta antiquitas fuerit*

a *Plato quem refert Conanus li. 1. comm. cap. 10.*

b *Arcesil. relatus ab Erasm. in Apophtegm in Arces.*

c *Tullius in orat. post redit. ad Senat.*

d *Iul. Capitol. in Antoni.*

e *Quintil. in declam. 299.*

rit, citerior tamẽ (ait) *est pœna quàm scelus*. Apud Aegyptios ergo, patris, matrísve interfectorẽ (vt ex Diodoro Siculo[f] alij recensent) adeò graui animaduersione coercebant, vt eum per singula membra acutissimis calamis impeterẽt, mox minutissimis ictibus consauciatum, super spinarum aceruum comburerent. Macædones, Alex.[g] teste, parricidas, & Maiestati reos, quin & eos quoque, qui illos quouis gradu contigissent, saxis obruebant. quod & Lusitanis moris fuisse Strabo[h] & Bohemus testantur. Neque aliter Mosaicâ lege apud Hebræos hoc crimen vindicari inde colligitur, quòd in Deuteronomio[i], filiꝰ contumax, & proteruus lapidari iubetur. Sed & diuinus Plato[l] non passus tãtum maleficium inultum relinqui, prudentissimè statuit, magistratuum iussu ab eorum ministris parricidam occidẽdum, trahiq; debere nudum in statutum triuium, vbi vniuersi magistratus in caput mortui lapidem mitterent, & ita ciuitatem omnem purificarent, ac deinde vltra regionem exportatum corpus proijcerent. Græcis quoque eandem lapidationis pœnam in vsu fuisse, non obscurè constare poterit ex Electrâ sic apud Euripidem[m] verba faciente

Argiuis autem edictum est, nec nos tecto recipi.
Neq; ignis vsu iuuari, nec quemquã nos alloqui fas sit
Vt parricidas, Hæc autem præfinita dies est
In quâ sententiam feret, ac decernet Argiuorum vrbs.
An nos lapidibus obrutos perire
Oporteat: an ve gladio iugulum ferire?

Constantin. Harmenopulus[n] legem ita conceptam reliquit. *Qui ascendentẽ, aut descendentem, propinquúm ve interemit, igni traditor.* In Vvisigothorum[o] etiam legibus, vltimam huic sceleri animaduersionem, omniumq;

f *Diod. Sic. li. 2. c. 3. Alex. 3. gen. c. 5. Couarr. sup. Plaza in epitom. delict. c. 22. nu. 1. Ioann. Bohem. de moribꝰ om. gen. li. 1. cap. 5.*

g *Alex. supr.*

h *Stra. li. 2. Geog. Bohem. sup. li. 3. c. 24.*

i *Deuter. cap. 21.*

l *Plat. 9. de legib.*

m *Eurip. in proœmio Orestis.*

n *Harmenop. lib. 9. Epitom. tit. 6. in fine.*

o *Lege Vvisig. li. 6. tt. 5. l. 17. & 18*

niumq; bonorum amiſsionem infligẽdam eſſe, docemur. Et apud Mediolanenſes municipalibus ſtatutis ea, teſte Iulio Claro[p], imponitur pœna, vt parricidæ, ad equi caudam adſtricti, & alligati, per vrbem trahantur, moxq; rotæ ligneæ intexti, miſerabiliter ſecati diſpereant. Horatius[q] cùm allium vehementer propter illatum ei damnum deteſtaretur, iudicaretq; cicutâ minùs ac lentiùs corpus cruciari, tantum venenum, in parricidij criminis pœnam vſurpandum fuiſſe, his verbis demonſtrat.

Parentis olim ſi quis impiâ manu
Senile guttur fregerit:
Edit cicutis allium nocentius, &c.

& lib. 2. Od. 13. cùm in arborem excandeſceret, cuius caſu ictus fuerat, illam ab eo plantatam fuiſſe ait qui patrem interfeciſſet.

Illum & parentis crediderim ſui fregiſſe ceruicem, &c.

Iulius verò Cæſar, vt Sueton.[r] tradit, parricidas ſeueriſsimis ſupplicijs affectos, bonorum etiam omnium damno multabat. quod (vt Iuſtus Lipſius[s] oſtendit) olim non niſi in atrociſsimis criminibus fieri ſolebat. Quò fit vt non abs re inter exempla ſummæ indulgentiæ Antonini Pij, illud Capitolinus[t] conſtituat, quòd parricidam in inſulam deſertam dũtaxat remiſerit, quia ei naturæ legibus viuere non licebat. Theodorici Regis Gothorum filia, à Theodato Rege Thuſciæ, quòd matrem ſacrum Domini corpus ſumentem, veneno interemiſſet; incenſo fortiter balneo, eius vaporibus ſuffocata eſt, vt Petrus Gregor.[v] teſtatur. Sed & curiam Parlamenti Gallici Tarquetium maiorem, qui parentem ſuum Pictauienſem electum occidi curauerat, diſcerpi primum candente forfice, deinde artus ad rotam ad-

p *Iul. Clar. li. 5. ſentent. §. parric. num. 5.*

q *Horat. Epod. 3.*

r *Sueton. in Cæſare cap. 24.*

s *Iuſt. Lipſ. li. 6. Annal. Tacit.*

t *Capitolinus in Antonino Pio.*

v *Petr Greg. lib. 36. c. 24. nu. 18.*

fringi voluisse, ac postremò concremari ex Theatro[x] cognouimus. Romanis maiorum more, noua quædam & singularis (vt statim trademus) pœna in vsu fuit: apud quos, iam inde à primis vrbis cunabulis, illatæ parentibus à filijs iniuriæ, ex Seruij Tullij legibus seuerissimè quoque vindicabantur. Inter quas vt refert Festus Pompeius[y], quædam erat ita cōcepta. *Si puer parentem verberit, ast olle plorassit parentes, puer Diuis parentum sacer esto*: quâ in lege, vt & hoc obiter animaduertamus, *Plorassit parentes*, vt idem Festus exponit, idem est quod *clamarit*. Solebat enim (vt rectè Iacobus Ræuardus[z] admonuit) is cui vis aliqua fiebat, si quidem ruri ageret, iubilare: sin verò in Romanâ ciuitate, & ciuis esset, proquiritare, idest aliorum ciuium auxilium exposcere. Vnde illud Terentij[a] *Obsecro populares ferte misero, atq; innocenti auxilium subuenite inopi*: In quē locum Donatus, *Et hoc est* (inquit) *quod veteres quiritare dicebāt, quirites coclamare*. Quod & M. Varro[b] his verbis explicuit; *Vicinaq; horum quiritare, iubilare. Quiritare dicitur is, qui Quiritium fidem clamans implorat, vt quiritare vrbanorum, sic iubilare rusticorum*. Quod verò in suprascriptâ lege filius patrem verberans Diuis parentum sacer esse iubetur, eum sensum idem Festus[c] alio loco habere testatur, vt à quouis sine fraude posset occidi. *Homo enim* (inquit) *sacer is est, quem populus iudicauit ob maleficium, neque fas est eum immolari, sed qui occidit parricidij non damnatur, nam lege Tribuniciâ primâ cauetur: Si quis eum qui eo plebiscito sacer sit, occiderit, parricida ne sit. Ex quo quiuis homo malus atque improbus sacer appellari solet*. Quâ eâdem ratione leges sacratas dictas fuisse, idem Festus[d] & Paulus aduertunt *quibus sancitum erat, vt qui, quid aduersus eas fecisset, sacer alicui Deorum esset*,

x *Theatrū humanæ vitæ vol. 19. lib. 2. pag. 3517.*

y *Fest. lib. 14. de verb. sig. in plorare.*

z *Ræuard. ad ll. xij. ca. 13. tradit alia Christ. Coler⁹ parerg. cap. 13.*

a *Terēt. in Adelp.*

b *M. Varr. li. 5. de ling. latin.*

c *Fest. libr. 17. in sacr.*

d *Dicto li. 17. in sacratæ leges. Et corpora Tribunorum & Principū hâc etiā ratione sacrosancta dicta ostēdit Iacob. Durant. Casel. li. 1. var. cap. 1.*

esset cum familiâ pecuniâq;. Quã sanctionem in legibus regijs, & in duodecim tabulis frequenter inueniri, doctissimus Barnab. Brisson.[e] pluribus probat. Quod si quis mirum existimauerit, quod cùm cætera sacra violari nefas sit, hominem sacrum ius fuerit occidi; huius rei causam à Macrobio accipere poterit, qui eam non ineleganter his verbis exposuit: *Veteres nullum animal sacrum in finibus suis esse patiebantur, sed abigebant ad fines Deorum quibus sacrum esset: animas verò sacratorum hominum, quos Græci ζωάνας vocant, Dijs debitas existimabant. Quemadmodum igitur, quod sacrum ad Deos ipsos mitti non poterat, à se tamen dimittere non dubitant: sic animas, quas sacras in cœlum mitti posse arbitrati sunt, viduatas corpore, quàm primum illò ire voluerunt.* Regiâ igitur lege si pulsatus, à filio parens, parentes conclamasset, parentum Diuis filius sacrabatur, deuouebaturque, & tamquàm impius atque improbus homo à quolibet impunè interfici poterat. quæ lex à Virgilio[f] notata videtur, dum apud inferos grauiter eos puniri docet à quibus

Pulsatúsve parens, aut fraus innexa clienti.

licèt Romani eâ perpetuò vsi non videantur, cùm scribat Vlpianus[g] *Si filius matrem, aut patrem, quos venerari oportet, contumelijs affecisset, aut impias manus eis intulisset, præfectum vrbis delictum ad publicam pietatem pertinens, pro modo eius vindicasse.* Et Seneca[n] legem esse dicat, *vt eius qui patrem pulsauerit manus, præcidantur.*

(?)

e *Brisson. li. 2. de form. pag. 154.*

f *Virg. 6. Æneid.*

g *Vlpia. in l. 1. de obsequijs parent. & pat. præst.*

h *Senec. li. 9. cõt. 4. quam Senecæ l. hodie obseruari posse, tradit Vvesemb. in parat. de parric. in fin. quã uis ego eũ dumtaxat iterũ in potestatẽ vt ingratũ reuocari, cautũ inueniã, in l. vnica C. de ingrat. li.*

CAPVT OCTAVVM.

Parricidij pœna apud Romanos quæ fuerit? Eam priùs à Tarquino in ſacrilegum quemdam vſurpatam. Parẽ videri parricidij, ſacrilegij rationem. Quo primum tempore parricidæ culleo inſui cœperint, & an id fuerit legibus an moribus introductum? Valerij in hâc re cum Liuio, Modeſtino, & alijs auctoribus pugna. Ea qualiter ab Steph. Pighio. Cuiac. & Pet. Ærod compoſita. Et Valerij emendatio tentata. Noſtra tandem de totâ controuerſiâ, ſententia.

SED oportunè iam de ſingulari ſupplicio, quod Romanorũ legibus parricidis irrogabatur, verba faciemus. Nam & in eo arcana quædam latent myſteria, Eleuſinis ſacris reconditiora, quæ nos, non abſque aliquâ lectoris voluptate, & vtilitate aperire conabimur: Et Romanos (vt Cicero [a] ait) non modò armis plus quàm cæteras nationes, verùm etiã conſilio, ſapiẽtiâq; potuiſſe, præſtitiſſeq; ijs, qui apud cæteros ſapiẽtiſſimi fuiſſe dicũtur, tũ ex hâc re vel maximè demõſtrabimus. Illi igitur infandi huius criminis reos (vt diſſertè Tulliꝰ, Modeſtin. Iulius Paul. Conſtant. [b] & alij paſſim auctores enarrant) virgis cæſos ſanguineis, cum cane, gallogallinaceo, ſimiâ, & viperâ, culleo inſui, atq; ita in mare, vel in proximum amnem deturbari voluerunt. Cuius pœnæ expoſitionẽ antequàm ex ordine aggrediar, ſi de ipſius origine, & progreſſu nõnulla tractauero, non omnino oleum me & operã perdidiſſe cenſebo. Et ſanè Valer. Maxim. [c] hoc ſupplicij genus in Marcũ Tull. Duũvirum à Tarquinio Rege irrogatum, quòd librũ ſecreta ciuilium ſacrorũ continentẽ, cuſtodiæ ſuæ cõmiſſum, corruptꝰ Petronio Sabino deſcribendũ dediſſet, *nõ multò poſt, parri-*

a *Cice. pro Roſcio Amer.*

b *Tull. ſup. & li. 2. de inuent. Modeſt. in l. pœna ad l. Pomp. de parri. Paul. li. 5. ſentẽ. tt. 24. Conſtãt. in l. vn. C. de his qui parent. Iuſt. in §. alia de inde. inſt. de publ. ind. & alij multi, quos ſuis locis referemus.*

c *Valer. li. 1. c. 1. idẽ refert Diony. li. 3. qui tamẽ Attiliũ hunc Duũvirum vocat.*

parricidis lege assignatũ fuisse ait; quòd pari vindictâ parẽtũ ac Deorum violatio expianda videretur. Est enim sacrilegiũ parricidio proximũ, & vtriusq; sceleris vt plurimũ radix est auaritia, vt Ant. Syluius[d] aduertit, ac proinde Polygnot. in descriptione inferorũ, prope eũ qui patrẽ contumeliosè pulsauerat, iacentẽ sacrilegũ pinxit, quẽ mulier multiplici venenorũ, & tormentorũ specie cruciare non desinit, vt Pausanias[e] testatur. Sed est adhuc, cur in suprascripto Valerij loco hærere quis possit. Primo dum tradit nõ multò post Tarquinij tẽpora cullei suppliciũ parricidis inflictũ: ac rursus dũ id lege effectũ fuisse demonstrat. Nam illud Tito Liu.[f] & alijs repugnat, ex quib⁹ iam alio loco docuimus, primũ omniũ Public. Mallcol. siue vt Plutar.[g] existimat, Luciũ Hostium matre interemtâ, anno ab vrbe conditâ sexcentesimo hanc pœnã subijsse, atq; ita quadringẽtis amplius annis post regum tẽpora. Posterius verò Modest. respõso[h] nõ leuiter aduersatur, quo, hãc de quâ agimus pœnã, non lege aliquâ, sed maiorũ more institutã fuisse docemur. Et quidem à primâ difficultate, Steph. Pighius[i], auctoritate manuscriptorũ codicum, Valeriũ absoluit, contendẽs, negationẽ ex eius verbis tollendã, legendũq́; *multò post*, cùm hoc historiæ, & probatorũ librorũ fides expostulet: quam emendationem Iacob. Cuiac.[l] cum Glareano omni opere admittit, & alterius quoq; manuscrip. Codicis. qui in Biblioth. S. Victoris reperitur, testimonio confirmat. A secũdâ verò ipse idẽ Cuiac.[m] Valeriũ liberare cõtendens, legẽ ab eo pro more vsurpari ait. Mos enim pro lege est, & vt Vlp.[n] & Iulian. fatẽtur, *diuturna & inueterata cõsuetudo pro iure & lege nõ immeritò custoditur, & in his quæ ex nõ scripto descẽdũt, obseruari solet.*

Ego

d *Ant. Clar. Syluius ad ll. xij. c. 18.*

e *Pausa. in Phoc.*

f *Liuius libr. 48.*

g *Plut. in Romu.*

h *Modest. l. pœna ad l. Põp de parri.*

i *Steph. Pighius in annot. ad Vale.*

l *Cuiac. in not. ad Paul. li. 5. sentẽt. tit. 24.*

m *Cuiac. eod. loc. Hierony. Magius lib. 4. misc. cap. 8.*

n *Vlpian. in lege diutur. Iulian. in l. de quibus. D. de legibus.*

Ego verò hâc in re Pighij, & Cuiacij iudicio acquiescere nequeo, nam præter Valerium, singulare hoc supplicij genus, nominatim parricidis legibus esse irrogatum, Quintilianus[o] de eo loquens, his verbis ostendit. *Tumulo tectus videretur cui leges terram negant? cui statim ora oculosque à iudicio lex iussit obduci? &c.* Quin vt optimè Petrus AErodius[p] considerat, Cicero[q] etiam ipse, hoc apertissimè demonstrat, dum præ Solone laudat maiorum suorum prudentiam, quòd ille nullam legibus suis in eum, qui parentem necaret pœnam constituisset. Romani contrà: *cùm intelligerent nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium singulare in parricidas excogitauerint, vt quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ij magnitudine pœnæ maleficio submouerentur.* Planè enim immeritò Solon reprehenderetur, si priùs quàm hoc crimen Malleoli facto, & scelere committeretur, nihil de eâ re Romani suis legibus decreuissent. Sed & aduocari hanc item in partem Orosij[r] auctoritas potest, qui cùm Malleoli matricidio vrbẽ totã mœrore subito turbatam dixisset, statim *impleuerunt* (subdit) *Romani facinus, & pœnam vnde Solon Atheniensis decernere ausus non fuerat, &c.* quò fit, vt necesse videatur pœnam hãc iam tum legibus definitam fuisse. Quæ argumenta tanti apud Petrum AErodium[s] fuerunt, vt nihil in Valerio mutandum affirmet, & quod Duumviri supplicium, non multò post parricidis lege irrogatum esse ait, ad leges duodecim tabularum referendum arbitretur, quarum hanc pœnam constituentium verba sibi agnoscere in Modestino[t] videtur cùm ait: *Cæsum virgis sanguineis insui.* Ego quidem, quo primùm tẽpore hoc apud Romanos supplicium institutum

o Quint. in declamat. 299.

p Petr. Ærod. li. 8. rer. iud. tit. 6. cap. 9.

q Cicero. d. orat. pro Roscio.

r Paul. Oros. li. 5. c. 16. in fine.

s Pet. Ærod. sup.

t Mod. d. l. penul.

tutum fuerit; nunc amplio, & propter diuersas scriptorum sentētias mihi non liquere pronuntio. Quod verò ad introductionis modum spectat, lege id, nō more receptum fuisse magis existimo: nec vni Modestino, plus quàm Valerio, Quintil. Ciceroni, & alijs, qui vnà hoc lege inductum consentiunt, tribuere possum. Trahit me etiā in hoc iudiciū Paul. Orosius, qui in suprascripto capite, Romanos parricidium fieri posse, Malleoli exemplo doctos, supplicium inquit singulare sanxisse. quod quidem loquendi genus, legē potiùs sapit quàm morem; mos namque diuturno vsu, & crebris populi exemplis inducitur: lex verò vno ictu, quæ è republica esse videntur, statuit, & sancit[v]. Accedit his, Modestinum quidquid maiorum more, cullei pœnâ puniri parricidas scribat, non excludere quin ea, lege aliquâ induci cœperit: Sæpe sæpius nāq; pœnæ more maiorum sumi, imponiq; dicuntur, quæ ex certis aliquibus legibus originem traherent. Sic enim Sallust.[x] *De confeßis* (inquit) *sicuti de manifestis rerum capitalium more maiorum supplicium sumendum.* Et Varro[y]. *Vix hæc fatus erat, cùm more maiorum de ponte in Tiberim deturbāt.* Et Tacitus[z]. *Elanguimus patres conscripti: nec iam ille Senatus sumus, qui occiso Nerone delatores, & ministros more maiorum puniendos, flagitabat:* & Valerius[a]. *Nam cùm Senatus Rupilio, & Lenati consulibus mandasset, vt in eos, qui cum Graccho consenserant, more maiorum animaduerterent.* Sic denique Sidonius etiam Apollinaris[b] cùm propriâ manu à quibusdam, qui maiorum suorum sepulchra violabant, vindictam sumsisset, pronuntiasse iudicem ait, *More maiorum reos tantæ temeritatis iure cæsos videri.* Et Vlpianus[c] noster haud dissimiliter, patriam, potestatem, quam constat regijs, & decē-

v *l. de quibus cū sequentib9 D. legib9 c.3. & 4. 1. distin. c.1.2. dist. latè Conanus. 1. com. c.10.*

x Sallust. *in Catilin.*

y *Varr. lib.60.*

z *Cornel. Tacit. lib.20. annal.*

a *Valer. lib.4. ca. 7. in principio.*

b Sidon *li.3. epis. 12. vbi* Pet. Col*nius alia cōgerit, & multa Pet. Faber li.2. Semestr. cap.7.*

c *Vlp. in l. patre furioso D. de his qui sunt sui.*

viralibus legibus institutam, maiorum moribus tribuit, sic inquiens: *Nam cùm ius potestatis moribus sit receptum, &c.* vbi Accurs. non omnino ineptè, iure ciuili, & legibus interpretatur, quamuis eum Eguinarius Baro[d] reprchendat:& Franciscus Conanus[e], & Iacobus Ræuardus aliter atq; aliter Vlpiani verba exponentes, reijciant.

d *Eguin. Baro. in d. l. patre furioso.*
e *Cona li. 2. com. c. 13. Ræuar. ad ll. 12. c. 3.*

CAPVT NONVM.

Cullei supplicium Modestinum mori maiorū tribuere. Iustinianum id nouè à Pompeio *institutum testari. Martianum parricidas pœna legis Corneliæ de siccarijs puniēdos docere. In hâc pugnâ Hotoman. Cuiac. Balduinū,* Sigonium, *Anton. Augustin. Duaren. & alios, nihil, quod probari poßit, dixisse. Quid nos in difficili hoc articulo existimemus. Multis iuribus lux allata. Eum qui ab alijs inuenta restituit, aut reformat, sibi interdum totius rei nomen adsumere.*

VERVM enim verò hæc quæ de huius supplicij initijs, & origine, tàm latè in præcedenti capite disputauimus, incassùm dicta videri poterunt, nisi duplicem obicem, seu scrupulum remoueamus, quo tota hæc res oppidò turbari, & obscurari videtur. Prior est, quòd Martianus I. C.[a] non antiquâ aliquâ, & incognitâ lege, non etiam maiorum more, vt Modestinus[b] scribit, sed pœnâ eâ quæ est legis Corneliæ de siccarijs, parricidas teneri testatur. Alter verò, quòd Iustinian. Cæsar[c], asperrimo huic parricidij crimini, lege Pompeiâ nouam hanc cullei pœnam irrogatam esse, expressis verbis ostēdit. Quod si ita est, Modestinum, cæterosq; etiam Romanæ historiæ auctores, quorum testimonia laudauimus, peccare necesse

a *Mart. in l. 1. D. ad l. Pōp. de parr.*
b *Modest. in d. l. pœna.*
c *Iust. in d. §. alia deinde inst. de pub. idu.*

necesse est, dum eam multis ante Pompeium annis institutam, & maiorum moribus à Romanis obseruatam esse, fatentur. Propter quas difficultates interpretes varias in hoc articulo sententias comminiscuntur, quæ tamen se inuicem perimunt, vt milites illi, quos aiunt, ex Draconis dentibus natos. Et vt varia relinquam Accursij[d], & Accursianorum interpretamenta, quæ neque ipsis auctoribus satis probantur: Catelianus Cota, Franc. Hotom. Pardulphus Prateius. Aimar. Riuarius[e] & alij, Iustiniani verbis allecti, indistinctè hanc cullei pœnam singulareq; parricidarum supplicium Pompeianæ legi assignant, & tribuũt, quorum iudicium inuenio, à Paulo quoque Manutio[f] fuisse receptum. Qui tamen non satis stabili pedamento nituntur, cùm Romanæ historiæ veritas refragetur, quæ multis antè Pompeium annis, hoc supplicium parricidis irrogatum ostendit. Et præterea Martiani, & Modest. responsa non explicant. Quamobrem Antonius Augustinus[g], Hispaniæ nostræ augustissimum iubar. hãc cullei legem à Pompeio Magno latam nõ fuisse, ingenuè fatetur, fieri tamen potuisse, vt aliâ lege hæc eadem pœna imposita fuerit. Balduinus[h] autem, & Duarenus[i] quid Cornelia, quid Pompeia rogatio in parricidarum supplicium induxerit, se ignorare testantur, sed vt vt sit, Pompeium totam hanc rem rectiùs tandem composuisse, & certam de parricidis legem tulisse. Iacobus Cuiac.[l] in hoc eodem salo subsistens, nihil certius cõmentus, existimat, Cornelium Syllam aliquam de parricidijs legem rogasse, quæ cùm strictè, ad eas tantùm personas pertineret, quæ propriè parricidij appellatione continentur, posteà nouâ Pompei Magni lege, quam Martia-

d *Accur. in d. l. 1. ad l. Pomp. & in d. §. alia deinde*

e *Cota in memorab. verb. culleus. Hotom. ad ll. P. R. c. de l. Pomp. Prat. ibd. Riuar. de hist. iur. lib. 2. pag. 222. Tiber. Dec. lib. 9. crim. cap. 7.*

f *Paul. Man. de ll. Romanis pag. 230.*

g *Ant. August. de ll. Rom. c. de l. Pomp.*

h *Balduin. d. §. aliâ deind. nu. 14.*

i *Duaren. ad tit. ad l. Põp. de parr.*

l *Cuiac. in parat. l. de his qui parẽt. & nouis ad eum tit. recitat. & notis, & in notis ad Paul. li. 5. tt. 24. & in notis ad d. §. alia deinde.*

Martianus[m] cõmemorat, latiorẽ interpretationem acceperit. Et tandem Constantinum[n] cullei pœnã more maiorum, vt ait Modestinus[o], institutam, & vsu iam abolitam, reduxisse. Carolus Sigonius[p], quem Ioannes etiam Rosinus[q] refert, & sequitur, primam de his qui parentes occidissent legem, tum latam fuisse opinatur, cùm Lucius Hostius patrem interfecit, aliquanto post Annibalis bellum: quam legem ipse putat fuisse huiusmodi. *Si quis parentes occiderit, aut verberauerit, ei damnato obuoluatur os folliculo lupino; soleæ ligneæ pedibus inducantur, & in carcerem ductus, ibi sit tantisper, dum paretur culleus, in quem coniectus, in profluentem præcipitetur.* Hanc legem putat L. Cornelium Sullam, cõstitutâ publicâ quæstione repetijsse, & confirmasse, nihil autem addidisse: Pompeium verò posteà, & in personis quibus irrogari deberet, & in supplicio ipso nonnulla mutasse. Sed & sunt[r] qui existiment, cullei quidem supplicium, iam inde à priscis temporibus, siue maiorum more, siue lege aliquâ, vt nos magis probamus, in parricidas inuentum; Pompeium autem virgarum sanguinearum verbera, & animalium, quæ simul cum parricida culleo insui iubentur, consortium addidisse, quæ omnia olim incognita fuisse, argumento est, quòd Cicero, Liuius, Valerius, Plutar. & alij auctores, licèt longè latèq; de hâc pœna tractauerint, nullam eorum mentionem habuerint, à Pompeio autem idcirco credi possunt inuenta, vt de parricidâ non ampliùs tamquàm de homine, sed bruto supplicium sumi videretur, quem ab hominibus ad feras, & eas quidem immũdissimas & impijssimas relegarẽt. Ob quod pœnæ auctarium, nõ immeritò Iustinian[9] [s] totũ huius animaduersionis cõmen-

m *Martianus in d.l.1.ad l. Pomp.*

n *Constant. in l. vnic. C. de his qui parent.*

o *Modest. in d. l. pœna.*

p *Carol. Sigon li. 2. de antiquo iur. Rom. cap. 5.*

q *Ioann. Rosin. li. 8. antiquit. Roman. cap. 25.*

r *Ita tenent Pet. Ærod. lib. 8. rerũ iudic. tit. 6. ca. 9. Pet. Plaz. in epit. delict. ca. 22. nu. 7. Ioann. Oinoto. in d. §. alia deinde num. 3.*

s *Iustin. in d. §. alia.*

mentum adſcribit Pompeio: & antiquũ ſuppliciũ, ob partem denuò adiectam nouum appellat. Verùm ſuos iſthæc teneant auctores, ego qui nullius in verba iuraui, nec aliorum pedarius eſſe decreui, quid in obſcuro hoc articulo, aut verum, aut certè vero ſimilius exiſtimem, proferam nunc doctorum hominum (vt cætera quæ dixerim alia) iudicio ſubiectum, erga quos eâ & fui ſemper, & modò ſum obſeruantiâ, vt vel ſpongiam illis liberè tradam, quâ, vel vnâ liturâ, quæ minùs aptè dicta cenſuerint, non emendare tantùm, ſed & delere facilè poſſint. Arbitror igitur L. Cornel. Sullam, anno ab vrbe conditâ 688. legem tuliſſe, quæ ſimul cum cæteris ſicarijs, particulari quodã capite, in parricidij reos ſtatuebat, vt & Põponius[t] iuris hiſtoriam tractans, videtur oſtendere, & ex Imperatoriâ quâdam Sanctione[v] aut obſcurè colligitur: ac proinde cullei pœnam, more maiorum parricidis imponi ſolitam, paulatim in vſu eſſe deſijſſe, quo vſque Pompeius Magnus, qui poſt Sullam floruit, anno V. C. vt Roſinus[x] tradit 698. peculiarem aliam de parricidijs legem rogauit, quâ & totam hanc rem luculentiùs cõpoſuit, & forſitan, vt Hotomãnus[y] aduertit, vt certus deinceps huius criminis quæſitor eſſet, inſtituit: ſanciens, vt parentum occiſſores, more maiorum ſpeciali cullei pœnâ punirentur. Fratrum verò, ſororum, à latere cognatorum, vel affinium, pœnâ legis Corneliæ de ſicarijs. Quod ſatis Modeſtinus[z], & Iuſtinianus oſtendunt, & mihi Martiani reſponſo non remorante, facilè perſuadeo. Nam quod ille [a] ait, lége Pompeiâ caueri, vt qui generaliter, patrẽ, matrem, auum, auiam, & cæteras conſanguinitate iunctas perſonas occiderint, eâ pœnâ teneantur,

t *Pomp. in l. 2. §. deinde Cornel. de origine iur.*

v *L. fin. ad l. Cornel. de falſ. in C. Theod.*

x *Roſin. vbi ſup.*

y *Hotom. vbi ſup.*

z *Modeſt. in d. l. pœna verſic. qui alias. Iuſt. in d. §. alia deinde in fin.*

a *Martian. in l. 1. D. ad l. Põpei.*

quæ eſt legis Corneliæ de ſicarijs, ad primum planè legis Pompeiæ caput; vt ſatis ex Venuleio[b] colligitur, ſpectat, & pertinet; quo (vt in legibus tralatitium[c] eſt) antiquior dumtaxat lex Cornelia referebatur, retractabaturq́;: non tamen ita accipiendum eſt, vt non alio eiuſdem legis capite, grauior pœna parricidio, quàm ordinariæ cædi ſtatuta fuerit. Si enim nihil aliud Pompeius ſtatuiſſet, quàm vt parricida lege de ſiccarijs teneretur, quis rogo non ineptam illius curam & ſanctionem cenſeret? cùm nulla planè poſſet dubitandi ratio aſſignari, ob quã, cùm is, qui extraneum, & nullâ ſibi neceſſitudine iunctum hominem occidiſſet, Cornelianæ legis ſupplicio ſubderetur; is, qui parentibus, fratribus, aut ſimilibus perſonis mortem inferret, ab eo eſſet immunis. Accidit igitur hîc, quod de lege Liciniâ ſcribens tradit Macrobius lib. 3. cap. 17. *In eâ ferẽdâ, quæſitam eſſe legis auctoritatem, exoleſcente metu legis antiquioris: ita vt de ipſis xii. tabul. factum ſit: Quarum vbi contemni antiquitas cœpit, eadem illa, quæ alijs legibus cauebantur, in alia latorum nomina tranſierunt.* Neque quòd iuxta hanc interpretationem, nimis generalia Martiani verba reſtringimus, quiſpiam cauſetur. Nam neque nouum aut inſolens eſt, vnam legem per aliam exponere, & latè loquentem, certo aliquo modo reſtringere. Neque in eâ de quâ agimus materiâ, exemplo deficimur. Sic etenim Paulus[d] *Lege Pompeiâ* (inquit) *de parricidis tenetur, qui patrem, matrem, auum, auiam, fratrem, ſororem, patronum, patronam occiderit. Hi & ſi anteà inſuti culleo in mare præcipitabantur, hodie tamen viui exuruntur, vel ad beſtias dantur.* Quibus in verbis, valdè generaliter Paulus, cullei pœnam, ad eos omnes, quorum mentionem fecerat, retulit,

quæ

b *Venuleius in l. hos accuſare 12. §. itẽ legis D. de accuſation.*

c *L. 1. ad l. Falcidiam. Vide Bernard. Vvalth. 2. miſcel. c. 16. Alc. 5. parerg. ca. 23.*

d *Paul. li. 5. ſent. tit. 24.*

quæ tamen, vt ex Modestino, & Iustiniano resoluimus, non alijs, quàm parentum occissoribus, irrogabatur. Pompeius igitur legem Corneliam ad propinquorum interfectores sub certâ aliquâ formâ reduxit: cullei verò pœnam, in eos qui parẽtes necauissent, renouauit, quod & Didacus Couarrub.[e] & Valentinus Forsterus[f], post Accursium[g] & Bartolũ sensisse quoque videntur. Et Iustinianus dũ nouam hanc cullei pœnam appellat, & Pompeiâ legẽ inductam fuisse significat, vel pro suo more facit, solet enim pœnas suo tempore vsitatas, legibus ipsis, ex quibus crimen descẽdit, adscribere: vt legi Iuliæ de adulterijs pœnã capitis, cùm tamen eius legis pœna fuerit relegatio, vt rectè Cuiac.[h] aduertit, & Tiraq.[i] post alios quos retulit, adnotauit; vel vt melius cũ eo agamus, nouã hanc pœnam, non quasi à Pompeio recens inuentam, sed quasi extraordinariam, inusitatam, & vt Constantinus[l] ait non solemnem, vocauit[m]: aut, quod meæ sententiæ consectarium est, Pompeio cullei supplicium tanquàm ab eo inuentũ assignat, quòd illud lege Corneliâ sopitum, iterum suscitauerit, & in forum reduxerit, personasque, & causas in quibus irrogandum esset, præfinierit. Nam, vt idem Iustinianus[n] prædixit, *omnia nostra meritò facimus, quibus nostram auctoritatem impertimur, & qui laudabiliter factum emendat, laudabilior est eo, qui primus inuenit.* Neque rarò accidit, vt qui aliorum inuenta, vel in publicum edunt, vel exactiùs disponunt, totius sibi facti nomen, gloriam & honorẽ vsurpent, sic enim, vt Pomponius[o] scribit, Papirianum & Flauianũ ius ciuile dictum fuit, quod Sextus Papiriꝰ, & Gneus Flauius ediderunt, nõ quia ipsi de suo ibi quicquam adiecerint, sed quòd leges sine ordine

e *Didac. Couarr. in Clem. si furiosus in initio 2. p. num. 12. in fine.*

f *Valent. Forster. li. 1. hist. iur. ciuil. pag. 81.*

g *Accur. & Bart. in d. l. 1. ad l. Põpeiam. de parric.*

h *Cuiac. li. 5. sentẽt. Paul. tit. 23. in principio.*

i *Tiraq. in l. 13. connub. num. 6.*

l *Constant. in l. vnic. C. de his qui parent.*

m *Quod Cuiaciꝰ etiam tentauit in parat. C. de his qui parent.*

n *Iustinia. in l. 1. C. de veter. iur. enuc.*

o *Pompon. in l. 2. in princ. & in §. deinde ex his de orig. iur.*

ordine latas, in vnum redegerint. Sic etiam, vt eleganter ait Cassiodorus [p], *Ceres frumenta dicitur inuenisse, Pan autem primus conspersas fruges coxisse, perhibetur. Vnde & nomine eius panis est appellatus. Ita & illa prædicata est quæ reperijt, & iste laudatus est, qui decenter edenda humanis vsibus applicauit.* Verùm hoc parricidarum supplicium etiam post Pompeiam legem iterum in vsu esse desijsse, Paulus [q] in loco suprà citato nos admonet, tradens suo tempore, iàm non vt anteà parricidas culleo insui, & in mare præcipitari, sed ad bestias dari, vel viuos exuri; quo ex fonte manauit, vt Constantinus [r] Imperator, nouâ constitutione promulgatâ, rursus eandem pœnam reduxerit, quam ad parentes etiam, qui liberos occidissent, quin & ad alias (vt multi putant) personas, extendit, de quo tamen nos latiorem Deo duce disputationem inferiùs inibimus.

p *Caßiodo. lib. 6. variarum in for. præfect. annonæ.*

q *Paul. d. lib. 5. sentent. tit. 24.*

r *Constant. in d. leg. vnicâ.*

CAPVT DECIMVM.

De pœnâ à Romanis in parricidas constitutâ peculiaris tractatio suscipitur. Parricidam ex Modestini sententiâ antè omnia virgis cædendum. Hoc ex Romanorum more factum videri, apud quos vltimum supplicium semper verbera præcedebant. Portia, & Sempronia leges verbera à Ciuium tergo remouerunt. Cur hæ parricidis non profuerint? Quid sit more maiorum supplicium sumere? In instrumentis verberandi magnum fuisse Romanis discrimen. Virgis ciues, flagris seruos, vite milites cæsos.

AGE verò, & cùm de pœnæ temporibus, varijsq; mutationibus tractauerimus, ex ordine, ipsius supplicij partes, indagatione diligenti, pandere conce-

conemur, & in lucem proferre. Ergo parricida ante omnia ſanguineis virgis cædi iubetur. quod licèt auctores, qui de hâc re agunt, ſilentio inuoluerint: & Conſtantinus[a] & Iuſtinian. (licèt verboſè huius pœnæ formam explicent) prætermiſerint. Modeſtinus tamen exprimit ſatis, & ſimul maiorum more inſtitutum his verbis oſtendit. *Pœna parricidij more maiorum hæc inſtituta eſt, vt parricida virgis ſanguineis verberatus culleo inſuatur, &c*. Et Alfonſus noſter[b] in Regio Septempartito iure à Modeſtino mutuatus, ita ſcriptum reliquit. *Mandaron los Emperadores è los ſabios antiguos que eſte a tal que fizo eſta enemiga (Parricida nempè) que ſea açotado publicamente ante todos, è de ſi que lo metan en vn ſaco de cuero, &c*. Et ſanè quamuis Franciſcus Hotomannus[c], quicquid à Modeſtino præter culleum, in huius ſupplicij impoſitione mori maiorum tribuitur, à Triboniano ſui temporis contemplatione habitâ (prout alia plura[d]) ex nouis legibus additum putet: Ego iam tum Modeſtini tempore in vſu fuiſſe ea omnia, & hanc præſertim, de quâ nunc loquimur, verberationem, magis opinor. Frequentiſſima quippè erat Romanorũ conſuetudo, vt flagellatio ſolemnis vltimi ſupplicij anteceſſor eſſet, & rarò quis, niſi verberatus, crucem, ſuſpendium, ſecurim, aut aliud mortis genus pateretur. Inde Liuius[e] legem horrendi carminis dicit, quâ cauebatur *vt perduellionis damnatus, intra aut extra pomœrium verberaretur, & infelici arbore poſteà ſuſpenderetur*. Et Iudæi apud Ioſephum[f] *flagellati, & præcruciati ante mortem omne genus verberibus*, crucifixi dicuntur. Et Polybius[g] vbi de militibus qui Rhegium iniuſto bello occupauerant, & victi deinde Romam puniẽdi tranſmiſsi fuerant, loquitur; *Omnibus* (inquit) *in medio*

a *Cõſtãt. d. l. vni. Iuſtinia. d. §. alia deinde.*

b *Alfonſ⁹ Rex in l. 12. tit. 8. par. 7.*

c *Franc. Hotom. de legibus c. de l. Pomp. de parric.*

d *Triboniani frequẽs hic mos, qui paßim notatur ab Ant. Fabr. in ſuis coniect. libr. Ant. Conti. 1. ſucceſ. c. 13. Corraſ. 5. miſ. c. 17. Ræuard. 2. var. ca. 10. & 3. cap. 15.*

e *Liuius lib. 1.*

f *Ioſephus lib. 5. excid. cap. 32.*

g *Polybius lib. 1.*

medio foro verberatis, ex Romanorum more, ceruices præcisæ sunt. quam eandem historiam recensens Valer.[h] addit, *Senatum, quò minore cum inuidiâ id perageretur: quinquagenos per singulos dies virgis cæsos securi percuti iussisse.* Sed & Suetonius[i] tum alibi, cùm verò præcipuè in Nerone expressiùs eundem morem ostendit, sic inquiens: *Inter moras perlatos à cursore Phaontis codicillos præripuit, legitq́; se hostem à Senatu iudicatum, & quæri vt puniatur more maiorum: interrogauitq́; quale esset id genus pœnæ: Et cùm comperisset, nudi hominis ceruicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi: conterritus, duos pugiones quos secum tulerat arripuit, &c.* Conducunt etiã in eandem rem, disserta alia, & perspicua bonorum auctorum testimonia, quæ Iustus Lips.[l] & Petrus Faber[m], viri ingenij, & omnigenæ eruditionis ergo ab omnibus suspiciendi, affatim congesserunt. Qui ambo ex hoc more Iesum Christum Dominum ac Seruatorem nostrum à Pilato, ante quàm Iudæis ad crucem concederetur, flagellis atrocioribus cæsum, doctè, vt solent cætera, notauerunt. Enimuerò & si Semproniâ, & Portiâ legibus, Romanorum ciuiũ tergo consultum fuerit, cautumq́; ne quis magistratus de capite ciuis iniussu populi iudicaret, eúmve virgis cæderet, sed damnato exsilium permitteret, vt docet Cicero[n] illudens & cauillans in Labienum. *Portia lex* (inquiens) *virgas ab omnium ciuium corpore amouit; hic misericors flagella retulit: Portia lex libertatem ciuium lictori eripuit, Labienus homo popularis carnifici tradidit.* Et alibi[o] Verrem accusans, *O nomen dulce libertatis! ô ius eximiũ nostræ ciuitatis! ô lex Portia, legesq́; Semproniæ! ô grauiter desiderata, & aliquando reddita plebi Romanæ Tribunitia potestas! huccine tandem omnia reciderunt?* Et vltra Ciceronem, Sallustius, Plutarchus, & alij,

h *Valer. li. 2. c. 2.*

i *Suet. in Claud. c. 34. & meli⁹ in Nerone cap. 40.*

l *Iust. Lips. lib. 2. de cruce c. 2.*

m Pet. *Fab. li. 2. Semestr. cap. 7. in princ. & cap. 6. paulò post princ.*

n *Cicer. in orat. pro Rabirio per duel. reo.*

o *Cic. in Verr. 7.*

alij, quos Romanarum legum scriptores[p] retulere. Adhuc tamẽ parricidæ propter sceleris atrocitatem, earum legum iure & honore caruerunt, & ab eis tantum crimen exceptum videbatur, ni mirum quia iura ciuis ei reseruari minimè debuerunt, qui ipse, naturalia omnia, atque ciuilia iura, tam fœdo crimine violasset, vt non malè Hotomannus[q] animaduertit. Quò respexisse credendus est Tullius dum in oratione pro Roscio, vetus in parricidio suppliciũ commemorat: nec nõ Modestinus[r] dum illud more maiorum imponi fatetur: Nec enim significat (vt iã alio loco explicaui[s]) pœnam hanc moribus non legibus institutam; sed puniri ex lege Pompeiâ parricidas, de eisq; suppliciũ sumi, sicut maiorum tempore fieri solebat: ideſt ante ius nouum Portiâ lege constitutum, quæ damnatis non animam eripi, non virgas inferri, sed exsilium permitti iusserat, eorũq; corpora potestati carnificis exemerat. Ita enim s.c. quo socios Lucij Catilinæ apud Sallustium more maiorum puniendos, sancitum est, hanc significationem habere doctissimus vir, & alijs æquandus pluribus vnus Alciatus[t] adnotauit: & iuxta eandem sententiam Cornelius Tacitus[v] nouis legibus, maiorum mores opponit. *Censuit* (inquit) *Marullus Consul designatus reum more maiorum necandum: contra Thrasea disseruit, carnificem, & laqueum pridem abolita, & esse pœnas legibus constitutas, quibus sine iudicum sæuitiâ, & ipsorum infamiâ supplicia decernerent, quin in insulam publicatis bonis iret, &c.* Quibus locis alia non minùs expressa adijcit Petrus Faber[x], cuius scrinia variarũ rerum cognitione referta suppilare, necessarium non arbitror. Nec enim ex illis sum, qui vt Plautina illa mulier in Trucul. alienos fœtus, alienamq; eunt

F 2 pro-

p *Ant. Aug. ca. de l. Porciâ. Hotomãnus eod. ca. & c. de l. Sẽproniâ.* Paul. *Manutius pag. 142. & 116. Ioan. Rosin⁹ li. 8. antiquit. c. 2. Cælius Rhodig. li. 10. lect. ant. cap. 5. Zanchus ad Sall. pag. 142.*

q *Hotom. d. c. de l. Sempro. de iure ciuitatis.*

r *Modest. in d. l. penult.*

s *Sup. cap. 8.*

t *Alciat. li. 4. parerg. cap. 21.*

v *Cornel. Tacitus li. 14. Annal.*

x *Petr. Fab. d. li. 2. Semestr. ca. 7.*

prolem suppositum sibi. *Est enim benignum*, vt Plini⁹ ait [y], *& plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris: obnoxij verò animi, & infelicis ingenij, deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere.* Illud super pondium fuerit, parricidam virgis quidem afficiendum esse non, flagris aut loris: nam hæc apud Romanos inhonestiora erant, & rarò nisi in seruos vsurpabantur. Sic apud Terentium [z] Sanio sibi intentata lora exclamat, & indignatur. *Ad necem operiere loris.* San. *loris liber?* Et ab hâc notâ seruilem Menæ conditionem Horatius [a] opprobrat:

Sectus flagellis hic triumviralibus
Præconis ad fastidium.

Quem locum latissimè Petrus Faber [b] exponit, & Iustus Lipsius [c] in eandem rem simul cum alijs adducit, & Horatius [d] idem alio loco non minùs eleganter ostendit, sic inquiens:

In scalis latuit metu pendentis habenæ

Eòq; (vt prætercam alia quæ Cælius Rhodiginus [e] & Barnab. Brissonius [f] latè notarunt) respicit Calistratus [g] I. C. qui flagellorum castigationem, grauiorem pœnam, quàm fustium admonitionem insinuat. Et Macer, [h] dum scribit: *Ex quibus causis liber fustibus cæditur, ex eisdem seruum flagellis cædi.* Etenim in instrumenti genere quo quis vapularet, non parùm discriminis constituebant Romani, & quædam verbera seruorum propria, libertorum quædã, quæ ab ingenuis aliena reputabantur. Vnde & Imperatores rescripserunt [i], mulierem habere iustas diuortij causas, *Si se verberibus, quæ ingenuo aliena sunt, afficientẽ maritum probauerit:* Et Plinius [l] de vite loquens, *Vitis ipsa* (ait) *& in delictis etiam pœnam honorat.* Erat quippè fustigatio quæ vite fiebat militum propria, nec

y *Plin. in procem. natur. hist.*

z *Terẽt. in Adel.*

a *Horati⁹ Epod. Od. 4.*

b *Pet. Fab. lib. 2. c. 6. vidẽdus etiã li. 1. ca. 17.*

c *Iust. Lips. li. 2. de cruce cap. 3.*

d *Horat. 2. epis. 2.*

e *Cæl. Rhod. lib. 10. lect. ant. c. 5.*

f *Briss. verbo habena.*

g *Callist. in l. veluti 7. D. de pœn.*

h *Macer. in l. in seruorũ 10. D. de pœn. facit l. in metallũ 12. de iur. fis. vbi latißimè Cuiacius.*

i *Impp. in l. consensu 8. C. de repud.*

l *Plin. de nat. hist. li. 14. cap. 1.*

nec omnium quidem, sed eorum olim tantùm, qui ciues Romani essent: Alij namque scelera sua flagellis, & virgis luebant, quo vsq; Liuius Drusus, & Caius Gracchus Tribuni plebis, ne liceret quemquam Latini nominis virgis afficere: sed vitibus plebiscito sanxere, in hâc re Latinos populos Romanis coæquãtes, vt refert Plutarchus in Gracchis, & Petr. Crinitus[m], Alex. Hotom. & alij notarunt. Ex quo ritu, vitem Centurionum, aliorumq; militiæ ducum, & principum insigne fuisse, optimè Petrus Pithæus[n] & Iustus Lipsius[o] aduertunt. Indeq; lucem accipit Tacitus[p], qui *Centurio* (inquit) *Lucillius interficitur, cui militaribus facetijs vocabulum, Cedò alteram, indiderant, quia fractâ vite in tergo militis, alteram, & alteram poscebat.* Atque etiam Macer I. C.[q] qui de delictis militum agens *Eum* (ait) *qui Centurioni castigare se volenti restiterit, veteres notauerunt: si vitem tenuit militiam mutat: si ex industriâ fregit, vel manum Centurioni intulit: capite punitur.* Sed & vngulæ etiam erant, & scorpiones, & alia flagrorum genera de quibus plenè Iacobus Durantius[r] scripsit.

m *Petr. Crinit. de honest. discip. lib. 22. c. 2. Alex. genial. 4. cap. 10. in fin. Hotom. in indice legũ Rom. c. ꝗ l. Liuiâ ꝗ socijs.*

n *Pet. Pith. aduersa. li. 1. c. 15.*

o *Iust. Lips. li. 5. de milit. Rom. dialog. 18.*

p *Tacit. li. 1. annalium.*

q *Macer in l. milit. agrum 13. D. de re milit.*

r *Iacob. Durant. li. 1. var. cap. 15.*

CAPVT VNDECIMVM.

Sanguineis virgis parricidam verberandum Modestinum scribere. Has Accurs. & alios, quòd sanguinem elicerent, sic dictas putare. Flagellum in quo dolor inest apud Vlpianum quid? Eius loci emendatio post Budæum, & alios latè probata. Dolon quid? Corrasij, Mantuæ, & aliorum qui apud Modestinum Sagmineis *reponunt, emendatio reiecta. Item & Rusardi qui* Saligineis. *Sagmen quid? & sagminum vsus apud Romanos. Asserta vulgaris* Modestini *lectio. Sanguineæ virgæ quæ? & vnde sic dictæ? Arbores infelices quæ? Lictorum fasces an ex istis virgis sanguineis?*

VIRGIS itaque ex more parricida ante quàm culleo insuatur affici debet, quas & sanguineas fuisse ex Modestino retulimus. Sed multi, quibus istarum virgarũ appellatio, non magis nota fuit, quàm Achillis nomen inter virgines, verba hæc varijs interpretationibus, & emendationibus obscurantes, mihi hâc etiam in re subsistendi, & verum Modestini sensum, eorum delirijs explosis, aperiendi, necessitatem inijciunt. Et vt ab Accursij[a] expositione initium dicendi faciam, is, quẽ reliqui antiquiores magis communiter probant, virgas istas ideò sanguineas appellari existimat, quòd sanguinem à flagellati corpore elicerent. In cuius sententiæ confirmationem Marcus Mantua[b], similes alias loquendi formas adducit; mortem nempe pallidam, & infelicem inuidiam dici, quòd illa homines pallidos reddit, ista infelices; & miserabile remedium cessionis bonorum[c], quia miserum facit cedentem. Neque deest eiusdem Accursij exemplum, quo magis aptè superior explicatio corroboretur. Is enim Alfeni[d] verba, quibus Tabernarius quidam à pretereunte flagello, in quo dolor inerat, verberatus proponitur, pari interpretatione donauit, & in flagello ideò inesse dolorem dici, quòd alijs dolorem inferret, sibi persuasit. Sed ego, vt in poëtarum, & Rhetoricorum hortulis similes loquendi flores admitterem, in nostrorum Iurisconsultorum libris id nullâ quidem ratione recipere possum: cùm Iureconsulti non per metaphoras, nec circuitu longo, sed mundè admodùm, & circumcisè loquantur. Nec Alfeni locus Accursianâ indiget expositione, cùm iam post Budæum[e], & Alexandrum ab Alex.[f] neminem lateat, apud

a *Accurs. in d. l. pœna ad l. Pomp.*

b *Marc. Mantua in Enchiri. rerum singul. li. 5. c. 101.*

c *L. fin. C. qui bonis ced. poss.*

d *Alfenus in l. si ex plagis 52. §. 1. ad l. Aquil.*

e *Budæus in notis prior. ad Pãdectas ibidem.*

f *Alex. ab Alex. li. 4. genial. c. 15.*

apud Alfenum *dolon* esse non *dolor* legendum. Dolonem autem lignum vel fustem signare, intra cuius virgam acutâ cuspide pugio lateret, à fallendo græcè sic dictum, quòd decipiat ferro: cùm speciem ligni præferat, & haud secus quàm gladius vulnera ingerat, vt Varronis [g] testimonio probatur, & rectè Seruius aduertit in illud Poëtæ [h]

Telà manu, sæuosq; gerunt in bella dolones.

Quare Ludouicus Rusardus [i] in Modestini responso non *sanguineis virgis, sed saligineis*, legendum contẽdit, de quibus apud Vlpianum [l] est mentio, dum ait: *Sed si quis saligineas virgas instituendi salicti causâ defixerit, &c.* quæq; maximè huic supplicio conuenire videntur, cùm parricida in mare, vel fluuium, in cuius ripis saligineæ virgæ frequenter repcriuntur, proijciendus sit. Ioannes verò Corrasius [m] *Sagmineis* reponit: à sagmine herbâ, quam alio nomine verbenam dicimus, sine semine vbique crescente. Quam eandem lectionem, etiam Marcus Mantua [n] magis admittit, & in probatis Codicibus ita factam restitutionem inueniri testatur. Qui tamen ampliandi mihi videntur, sicut & alij omnes, qui vbi verba Iurisconsultorum non capiunt, statim immutandum curant. Neque temerè à vulgatâ, & Pandectarum Florentinorum auctoritate fulcitâ lectione recedẽdum existimo. Nam Rusardi coniectura, se ipsam facile prodit, Corrasij verò inde conuincitur, quòd atrocitas criminis tanta, tantumq; scelus, herbâ vapulare nõ debet. Et prætereà, quia vt rectè Adrianus Turnebus [o], vir vsque ad miraculum doctus, cõsiderat; numquam commisissent Romani, vt herbam sacram impio parricidarum corpore cõtaminarent, idq; nefas non leui piaculo luendũ censuissent. Erãt enim

g *Varro de ling. lat.*

h *Virg. 7. Ænei. vbi Seruius.*

i *Ludo. Rusar. d. l. pœna in notis.*

l *Vlp. in l. 3. D. arborũ furt. cæs.*

m *Ioann. Corras. li. miscel. c. 5.*

n *M. Mant. li. 5. Enchirid. c. 101.*

o *Adrian. Turn. li. 8. aduersar. ca. 23. & Hieronym. Magi' li. 4. misc. cap. 8.*

p Fest. Pomp. li. 16. in sagmina.
q Tit. Liu. li. 1.
r Alex. 5. gen. c. 3. in fin. Ræua. li. 4. var. c. 1. Petr. Crin. de honest. discip. li. 7. c. 3. Ferdinand. Mendoza li. 1. disp. de pact. ca. 7. nu. 9. & li. 2. c. 9. num. 10.
s Martianus. in l. sanctum 8. de rer. diuisione.
t Plin. li. 22. c. 2.
v Oros. li. 5. c. 16.
x Accurs. in d. l. pœna.
y Turneb. supra Duar. tt. ad l. Pōpeiā de parr. Cuia. in parat. & recitat. ad tt. C. de his qui parēt. Forcat. dialo. 34. Couarr. in d. Clem. in initio 2. p. num. 12. Balduin. d. §. aliâ deinde, Vvesemb. ibidē, & in paratit. de parric.
z Plin. li. 16. c. 32
a Li. 24. ca. 10.
b Lib. 19. ca. 10.

enim verbenæ herbæ puræ, inde sagmina si Festo[p] credimus dictæ, *quia ex loco sancto arcebantur à Consule, prætoréve, legatis proficiscentibus ad fœdus faciendum, bellumq́; indicendum*. Id quod eleganter Titus Liuius[q] ostendit, & ex eo multi etiam auctores[r] latè notarunt. Quamuis Martianus[s] I. C. non sagmina à sancto, sed potiùs *sanctum à sagminibus dictum scribat*, indeq́; legatos P. R. qui has herbas ferre solebant sanctos, & inuiolabiles esse. Vnde quæ tantâ religione colebantur sagmina, in tam impium facinus conuenire non poterant. Nisi fortè quis probet, sagmina (vt Plinius[t] ait) in remedijs publicis fuisse, atque adeò parricidarum supplicio iustè adhiberi, in quo sumendo, totius ciuitatis salus, & expiatio quodammodò consistere videretur, quam, vt de Malleolo scribit Orosius[v], tanti maleficij reus, subito mœrore, infuscare censetur. Verùm cùm consensus librorum omnium non sit respuendus, *virgis sanguineis*, scribentium, probanda est haud dubiè altera Accursij[x] interpretatio, qui sanguineas virgas à ligno vel frutice ex quo nascũtur, appellatas existimat; Quod licèt ipse diuinando tradiderit, verissimũ tamen est, & Turnebi, Duareni, Cuiacij, Forcatuli, Couarruuiæ, Balduini, Vvesembecij, & aliorum præstantissimorum virorum approbatione receptum[y]. Harum namq; virgarum, multiplex est in bonis auctoribus mentio, & sanguineæ appellabãtur, siue quòd sanguineo colore nascerentur, siue quòd, vt Turnebus opinatur, ad horrorem cruentari solerent. De quibus sic scribit Plinius[z] *Siquidem & genistæ, & populi, & vlmi, & sanguineæ frutices*, Et alibi[a] *Nec virga sanguinea felicior habetur. Cortex eius interior cicatrices, quæ præsanauere, aperit*. Et rursus[b] *Sunt qui sanguineis*

virgis

virgis tangant ea, quæ nolunt his obnoxia esse. Et plane non absque mysterio, sanguineis istis virgis parricidas verberari Cuiac.[c] notat, vt quemadmodum maiorum more alij criminosi infelici arbore suspendi solebant, vt in carmine horrendo ait Liuius[d]: *Caput obnudito, arbori infelici suspendito*, quem locum de cruce accipiendum Lipsius[e] existimat: ita & parricidæ, antequàm insuerentur culleo, cædantur fustibus ex arbore (vt Plinij quæ retulimus verba significant) infelici decerptis. Nam & in ipsis arboribus felices quasdam, quasdam contrà infelices iudicabant Romani, vt ex Veranio de verbis pontificalibus latè ostendit Macrobius[f], infelicium numero has virgas fortè tribuens, dum ait: *Alnum sanguine infelicem, ficum atram, quæque baccam nigram, nigrosq; fructus ferunt, &c.* Quin & Cuiacius[g] idem, lictorum virgas ex istis sanguineis fruticibus fuisse, apud Pliniũ se legisse testatur. Quod si ita se habet, nihil planè est cur amplius in dubium Modestini verba vocari possint; cùm fasces illi virgarum, qui à lictoribus ferebantur, in reorum verberationem adhiberentur. Et vt Alexander[h], & alij passim ostendunt, nihil aliud securibus alligati significarent, quàm eos qui leuiter peccarent flagris, & fustibus; qui verò grauius delinquerent, securi etiam, & vltimo supplicio plectendos. Quamuis in hoc vereor, ne non veriùs sit, lictorũ virgas ex arbore Betullâ, quæ cãdore atque tenuitate præcedit, fieri apud Romanos solere. Nam Plinius[i] *Betullam terribilem magistratuum virgis appellat*. Et Beroaldus[l] in illud Apulei. *Nam & virgas in te video, & habitum prorsus magistratui congruentem* in eâdem sententiâ est, quam Alexander[m] quoque sequutus videtur. Sed nil vetat ex diuersis inter-

c *Cuiac. in parat. C. de his qui parẽt.*
d *Liuius lib. 1.*
e *Lips. li. 1. de cruce, cap. 2.*
f *Macrob. lib. 3. Saturn. ca. fin.*
g *Cuiac. supra.*
h *Alex. ab Alex. li. 3. gen. ca. 5.*
i *Plin. li. 16.*
l *Beroal. ad Apuleiũ li. 1. de asino.*
m *Alex. ab Alex. 1. gen. c. 27. in fin.*

interdum arboribus fieri: cùm & vlmeos etiam lictorum fasces, quibus rei vapularent, fuisse, apertè Plautus[n] ostendat his verbis.

n *Plaut. in Asinariâ.*

Vbi sæpe ad languorem tuâ duritiâ dederis octo
Validos lictores, vlmeis affectos lentis virgis.

Sunt autem virgæ, teste D. Isidoro, *summitates frondium, arborumq́; sic dictæ, quod virides sint, vel quòd vim arguendi habeant, quæ si lenis fuerit, virga est, si certè nodosa vel aculeata scorpio rectissimo nomine dicitur, quòd arcuato vulnere in corpus figatur.*

CAPVT DVODECIMVM.

Parricidas culleo insui. Quid culleus, & quibus in rebus vsurpari solitus? Nō semper ex corio & vtre bubulo culleum fieri, sed interdum ex lino, vel canabi; quin & è sparto. Isidori, & Fulgentij obscura de hâc re verba cum Turnebo explicata. Cullei mensura & capacitas quæ? Catonis locus de cullei mensurâ relatus; & cum alijs auctoribus in concordiam reductus. Cullei nomen interdum in obscœnis vsurpatum videri.

SED verberum satis verborum; Quāuis lōga hæc quæ scripsimus ex Martialis[a] sententiâ videri non debeant, *quibus nihil est quod demere possis.* Iam vlteriùs pergamus, & virgis affectum parricidam, tragicâ cullei veste in theatrum daturi, prius de culleo ipso nonnulla dicamus: quem Festus[b] collum appellat, & genus tormenti è corio definit, vbi Ioseph. Scaliger[c] ex veteribus editionibus *culleus* reponit, & hoc genus tormenti, quo afficiebantur parricidæ, significari, rectissimè admonet. E corio autem culleum fuisse, multorum auctoritate comprobatur. Nam Isidorus[d] culleum describens inquit: *Vtrem esse ex corio factum, in quo parricidæ*

a *Mart. li. 2. epig. 77.*

b *Festus lib. 3. de verb. sig. in Coll⁹.*

c *Ioseph. Scal. in notis ad Fest. pag. 46.*

d *Isidor. libr. 5. Etym. c. 37.*

cidæ cum simiâ, & gallo, & serpente inclusi in mare præcipitabantur. Theophilus[e] etiam ἀσκὸν βόειον vertit, idest *saccum bubulum*, quâ eâdem ratione Anianus[f] *culleum* (inquit) *factum de corijs saccum*. Et Iuuenalis[g]. *Et deducendum corio bouis in mare*. Sed & nostra etiam Hispana lex idem prorsus exprimit, dum ait: *E de si que lo metan en vn saco de cuero*. Inde mirum nec sine ratione Scaliger[h] reputat, quod de eâdem re Isidorus scribens in Glossis, ait: *Culleum tunicam fuisse ex sparto in modum cruminæ factam, & solitam liniri à populo pice, & bitumine*, licèt vrnas sparteas & amphoras sparteas ad vinũ metiẽdũ parari solere, ne si fictiles essent, tractãdo sæpe, vt in metiẽdo fit frangerẽtur, Turneb.[i] admoneat; quas forte quòd cullei vicẽ præstarẽt, cullei nomine Isidor⁹ donauit. Quemadmodũ & Fulgentius[l] saccũ è quâcumq; re factũ culleum appellat. *Culleus est* (inquit) *saccus è lino, vel canabi, vel corio factus: ab occulendo, idest claudẽdo dictus; eo vtimur ad portanda frumenta*. Sed frequentius culleus ex corio erat, vt apparet, & vasis vinarij genus in quo tamen, vt & Mantua[m] notauit, non seruatur vinũ, sed de loco ad locum, quemadmodum in vtribus, vehitur. Quo in sensu, & Cato[n] de re rusticâ, & Vlpianus. atque alij ex nostris Iureconsultis passim[o] hoc nomen accipiunt. Sed neq; abest Plinius[p], qui de maximis quorumdam hominum virib⁹ agẽs. *Iunius Valens* (inquit) *meruit in prætorio Diui Augusti Centurio, vehicula cum culleis donec exinanirentur sustinere solitus*. Vnde & Festus[q] ait *Culleola dicta à similitudine culleorum, quibus vinum siue oleum continetur*. Prætereà culleus mensuræ officium apud Romanos præstabat, & vt ex Columellâ & Plinio tradit Brissonius[r], & Catellianus Cota[s] vrnas quadraginta

e *Theoph. in §. alia deinde, inst. de public. iud.*

f *Anian. Græcus interpres in l. 1. de parr. in C. Thed.*

g *Iuuen. saty.* 13.

h *Scaliger sup. Christ. Coler⁹ parerg. c. 3. qui tamẽ hunc locũ Petro Danieli tribuit.*

i *Turneb. li. 7. aduer. ca. 23. & lib. 28. cap. 5.*

l *Fulg. voc. antiq. cap. 56.*

m *Mantua li. 6. Enchirid. c. 128.*

n *Cato de re rust. ca. 154.*

o *L. si cui vinum §. 1. de trit. vin. l. fin. §. fin. de pig. act. l. legatũ §. vini de ann. leg.*

p *Plin. lib. 7.*

q *Festus lib. 3. in culleola.*

r *Briss. verb. cullei.*

s *Cot. in memorab. iuris verb. culle⁹.*

 capie-

capiebat. Quò respiciens Priscianus lib. de ponderibus quem iidem ipsi auctores referunt, & Forcatulus[t] etiam citauit, sic inquit:

t *Forcat. de penu iuris cap. 25. & Tiber. Dec. lib. 9. crim. c. 16. nu. 9.*

Est & bis decies quem conficit amphora nostra
Culleus. hâc nulla est maior mensura liquoris.

Cato[v] quoque cullei mensuram quadraginta vrnas capere, sed auctarij loco vnam prætereà addi, his verbis significat. *In doliis hoc modo venire oportet, vini in culleos singulos quadragenæ dabantur, & singulæ vrnæ.* Alias enim, nisi ita cum Turnebo[x] Catonem accipias, in vrnâ vnâ ab alijs differet, quod probandum non est. Capiebat ergo culleus, vt præter Alciatũ[y], Hispanus noster Mariana[z] eruditè demonstrat, amphoras viginti, vrnas quadraginta, congios 160. sextarios Romanos 960. Toletanos autem sextarios 1200. singulisq; plaustris, singuli cullei vehi soliti erãt, vti veteres sculpturæ marmorum indicio sunt. Deniq; cullei nomen pro vaginâ sumi, & inter obscœna vsurpari solet, vt ex Priapæis constat, & Baptista Pius[z] animaduertit.

v *Cato de re rust. cap. 148.*

x *Turneb. li. 23. aduersar. c. 9.*

y *Alciat. libr. 4. dispunc. c. 21.*

z *Marian. de pōd. & mensur. c. 16.*

z *Baptist. Pi⁹ annotamen. cap. 41.*

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat
An te pudor quàm te violẽ, aut tua iura resoluã.

CAPVT XIII.

Culleum propriam fuisse & solemnem parricidarum pœnam, plurimis bonorum auctorum testimonijs adductis, eleganter ostẽditur. Plauti obscura verba hoc ex fonte cum Lãbino contra Ianũ Dousam vero sensu donãtur. In Neronis parricidia populũ variè lusisse. Cornificij vel Ciceron. in Rhetor. verba ad hãc pœnam pertinẽtia, in mediũ adducta, & aduersus Beroaldũ, Catellian. Cotam. Turneb. & alios nouâ explicatione donata. Folliculus Lupinus quid? Reorũ vbi vltimũ essent suppliciũ subituri, faciem ex more velari. Ligneæ soleæ quæ reorũ pedibus inijciebantur quid? Adagium culleo dignus.

Culleo

CVLLEO insui parricidas & in mare deijci, & hoc supplicij genus iã inde ab antiquis temporibus in tanti criminis reos institutum, licèt præiudicio quodã à nobis in superioribus dictum fuerit; hoc tamẽ capite, rerum dicendarum ordine ita exigente, peculiari obseruatione huius erit articuli tractatio suscipienda: quæ & multorum auctorum testimonijs illustris: explicationibus vtilis: & ipsâ denique varietate iucunda, lectorem non parùm, vt arbitror recreabit. Vti enim apicularũ sedulum, & operosum examen, ex diuersis floribus ad mellificium suauem colligit succum, & vt Virgilius[a] ait:

- - - - - - - - - - - - - - Liquentia mella
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.

Simili nos ratione, in hoc, vt in alia huius operis capita, non Iureconsultorum modò responsa, sed aliorum etiam auctorum viridaria libantes, idoneos ad mel faciendùm flosculos carpimus, & in vnum quâ possumus, diligentiâ reducimus. Ergo vt L. Hostij, & Publicij Malleoli historiam: Ciceronis & Valerij vulgatissimũ locum, & antiqua Iurisprudentũ, & nouiora Cæsarũ[b] oracula prætermittam, quib⁹ cullei pœna parricidis adscribitur, & adducta sæpe, adduci sæpiùs citra Battologiæ vitiũ non possunt. Extat nobile hui⁹ rei apud Senec.[c] testimoniũ, quod eò scribam libẽtiùs, quòd iudices, quo se animo in maleficijs puniẽdis habere debeãt, simul cõmonefacit, sic inquiẽs: *Et cùm ceruicẽ noxio præcidi imperabo, & cùm parricidam insuam culleo, & cùm Tarpeio proditorem hostém ve publicum imponam, sine irâ, eo vultu animoq; ero, quo serpentes, & animalia percutio.* Sed & idem Seneca, qui omne genus pœnæ remedij loco ibi admouen-

a *Virg. 4. Georg.*

b *Modest. in l. pœna ad l. Pompeiã Paul. 5. sent. tit. 24. Constãt. in l. vni. C. de his qui parent. Theod. in l. 1. C. de parr. in C. Theod. & in l. 1. quorũ appell. nõ recip. eod. C. Iust. in d. §. alia de ind. Alfons. in l. 12. tit. 3. part. 7.*

c *Seneca lib. 1. de ira cap. 16.*

d *Sen. li. 1. de clementiâ c. 23.*

uendum esse suadet: alibi [d], clementiâ interdum plus quàm castigatione opus esse, his, quæ ad rem etiam nostram spectant verbis, ostendit. *Pater tuus plures intra quinquennium culleo insuit, quàm omnibus seculis insutos accepimus. Multò minùs audebant liberi nefas vltimum admittere, quando sine lege crimen fuit. Pessimo loco pietas fuit, postquàm sæpius culleos vidimus, quàm cruces.* Agnouit quoque huius criminis pœnam Plaut. [e] dum ait. *Iube hunc insui culleo, atque in altum deportari, si vis bonam annonam*: & licèt obscuro verborum inuolucro in eandem respexisse videtur, dum Epidicum iocantem his verbis inducit [f]

e *Plaut. in Vuidularia.*

f *Idem* Plaut. *in Epidico, act. 3. sce. 2.*

Ep. *Quia ego tuum patrem faciam perenticidam*
St. *Quid isthuc est verbi?* Ep. *nihil moror*
vetera & vulgata verba.
Peratim ductitate, at ego follitim ductitabo.

Quo in loco Dionysius Lābinus rectè, vt equidem nullus existimo, ad supplicia parricidarum allusum aduertit, quos in peram (quàm ille itidem quasi culleum interpretatur) insutos, in profundum abiectari moris fuisse didicimus. Vnde Poëta formulam illam. *Peratim ductitate* è *Perâ* cōposito aduerbio, festiuè deduxit, quasi diceret, *In culleum insuite.* Etsi Ianus Dousa [g], longè diuerso sensu Plauti verba accipiēda esse arbitretur. Apuleius [h] etiam, cùm de priuigno parricidij à nouercâ insimulato tractaret, *Nec quisquam* (inquit) *decurionum tam æquus remanserat iuueni, quin euidenter noxæ cōpertum insui culleo pronuntiaret.* Et Iuuenalis [i] ex pœnâ ipsâ parricidā significās, sic ait:

g *Ianus Dous. li. 2. Plautin. explanat. cap. 16.*

h *Apulei. lib. 10. asini aurei.*

i *Iuuen. Saty. 13.*

Confer & artificem, mercatoremq; veneni,
Et deducendum corio bouis in mare, cum quo
Clauditur aduersis innoxia simia fatis.

Et alibi Neronis matricidium, & aliorum cognato-

natorum cædes ab eo commiſſas reprehendens[l]. l *Idẽ Iuu. Saty. 8.*

Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam
Perditus, vt dubitet Senecam præferre Neroni?
Cuius ſupplicio non debuit vna parari
Simia, nec ſerpens vnus, nec culleus vnus.

Principum enim ſcelera vt impunita manere poſſint, notam tamen, & reprehẽſionem populi effugere nõ poſſe, rectè Caſſiod. 6. var. his verbis ſcripſit. *Nam malo inſtituto viuere, nec principi fas eſt, quando & de illo populus occultè poteſt dicere, cui mores ſuos publicè nullus auſus eſt imputare.* Id quod, vel hoc Neronis exemplo denotatur, in quem etiam viuum adhuc, & imperij habenas moderantem, varijs ſcommatibus multi vt Sueton.[m] eſt auctor, luſerunt. Nam Datus Attellanarum hiſtrio, canticum quoddam recitans, ita illum demonſtrauit, vt bibentem, natantemq́; faceret: exitium C. Claudij, quem Nero veneno, & Agrippinæ, quam naufragio ſuſtulit, ſignificans. Et alius Neronis ſtatuæ culleum appoſuit, hoc addito elogio, *Merueras, ſed ego quid poſſum?* Sed & alij nõ minùs facetè, Oreſtis & Alcmæonis nominibus illum appellitarunt, & impium eius matricidium ita admodùm ſubtiliter carpſerunt.

m *Sueton. in Nerone cap. 39.*

Quis neget Aeneæ magnâ de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

Verùm, vt innumera alia bonorum auctorum teſtimonia de culleo parricidarum agentia, prætercam, vnus nobis Cicero[n], ſiue quiſquis ille eſt, qui Rhetoricorum libros ſcripſit, ad partes vocetur, qui ſolemnem huius ſupplicij imponendi morem, his verbis eleganter expreſſit. *Eſt lex qui parentem necaſſe iudicatus erit, is obuolutus, & obligatus culleo, deuehatur in profluentem. Malleolus iudicatus eſt matrem necaſſe, ei damnato*

n *Cicer. 1. Rhet. ad Heren. & lib. 2. de inuent.*

damnato, statim folliculo lupino os obuolutum est. Et soleæ ligneæ pedibus inductæ sunt. Deinde est in carcerem deductus, vt ibi esset tantisper dum culleus, in quem coniectus in profluentem deferretur, compararetur. Quibus in verbis, qui folliculum lupinum pro parricidæ culleo à Cicerone positum putant, meritò à Philippo Beroaldo [o] notātur: qui lupinum folliculum tegumentum potiùs quoddam ex lupinâ pelle confectum, fuisse arbitratur, quo, vt idem Cicero ostendit, velatus parricida, in carcerem ducebatur, interim dum culleo insutus, vltimas pœnas pendebat. Quam Beroaldi sententiam Catellianus quoque Cota [p] ad verbum transcripsit, & Adrian. Turnebus [q] sequut' videtur; ideò parricidæ os folliculo obuolui subijciens; quòd indignum eum iudicarent, qui communi spiritu, luceq; frueretur: Lupinum verò esse folliculum voluisse, feritatem significantes eius, qui necem atrocem & acerbam suâ manu parenti intulisset. Mihi verò certiùs esse videtur, eo in loco frequentem puniendorum reorum modum notari, quorum facies vbi iam iam pœnas essent daturi obnubebatur, vt ex Liuio [r] colligitur, dum legem, quâ Horatius perduellionis damnatus afficiendus erat, scribit. *Duumviri perduellionem iudicent, si à duumviris prouocauerit, prouocatione certato, si vincent caput obnubito, infelici arbore reste suspendito.* Et ex Hegesippo [s] qui inquit. *Dum percussor moratur, clausis iam fasciolâ oculis, sese proripuit ad Romanos.* Et ex Ammiano Marcellino [t], *Carnifex rapinarum sequester, & obductio capitum, & bonorum vbique mulctatio.* Et ex libro Esther [v], vbi, cùm Aman ad crucem raperetur, *Statim operuerunt faciem eius.* Conducunt quoque Festi verba in *nuptias*, qui in nostro casu ait: *Legem Parenstam iubere*

o *Beroal. in comment. Apul. d. li.* 10.

p *Catell. Cota in memorab. verb. culleus.*

q *Adrian. Turneb. li. 13. aduer.*

r *Liuius lib.* 1.

s *Hegesip. li.* 5. *c.* 47.

t *Ammian. Marcel. lib.* 14.

v *Lib. Esther. c.* 7

iubere caput eius obnubere, qui parentem necauisset. Quem locum mirum est quàm feliciter à mendo vindicarit Ioseph. Scalig. Sed & in illis Ciceronis verbis *ligneæ soleæ pedibus inductæ sunt*, eiusdem Turnebi [x] iudicium probare nō possum, dum ligneas soleas parricidarum pedibus induci arbitratur, ne cōmuni reliquorum hominū è corio calceatu vterentur, neu calceamēta quibus homines vti solerent, polluerēt, si ea pedibus suis calcarent, neu terram, communem omnium parentem, nudis pedibus tangerent. Existimoq; magis ad lignum quoddam, quod in Barathro, siue Tulliano erat, Ciceronem respicere, quo reorum pedes, interim dum ad supplicium ferebātur constringi solebant. Vt ex his Aurelij Prudentij [y] mundissimi s versibus colligi potest, vbi Barathrū eleganter describens, sic ait:

x *Turneb. supr.*

y *Aurel. Prud. in hymno Vincētij, & vide Torner. li. 2. sel. c. 12 & Cuiac. li. 9. obseruat. cap. 37.*

Est intus imo ergastulo
Locus tenebris nigrior,
Quem saxa mersi fornicis
Angusta clausum strangulant.
Æterna nox illic latet
Expers diurni syderis,
Hic carcer horrendus suos
Habere fertur inferos.
In hoc barathrum coniicit
Truculentus hostis martyrem,
Lignoq; plantas inserit
Diuaricatis cruribus:

Nisi quis fortè parricidæ capiti, folliculum obuolui, ligneas etiam soleas pedibus induci, magis admittat, vt insutus posteà culleo, & in profluentem deiectus, diutiùs nataret, & (quod in hâc pœnâ curari inferiùs docebimus) ita super aquam detineretur, vt

mergi non posset. Folliculum enim à folle deduci, & inflatam vẽto pelliculam significare, planissimum est; vnde folliculorum ludus apud antiquos maximè celebratur, quo Iulium Cæsarem, Octauium, Dionysium Tyrãnum, nostrumq; Scæuolam I.C. remisso à negotijs animo lusisse, memoriæ prodidit Alex. ab Alex.[z] Sed & illud corolarij vice superioribus adnectemus, ex hoc parricidarum supplicio tractâ similitudine, quemlibet hominem enormiter scelerosum, prouerbiali figurâ *Culleo dignum* vt Erasmus[a] aduertit, appellari cœpisse: & interdum alia præter parricidium crimina, cullei pœnâ vindicata, litterarum monumentis proditum esse. Nam vt Attilium duumvirum silentio prætercam, quem (vt ex Valerio[b] alio loco retulimus) sacrilegij reum, Tarquinius Rex culleo insutum in mare deiecit, Plutarch.[c] scribit, Tiberio Graccho interfecto, C. Vilium eius familiarem, tanquàm seditiosum ciuem, culleo cum anguibus insutum, mortem obijsse. Idem etiam Plutarchus[d], Cyrenenses olim Mithridatis tempore Leandrum quendam fratricidam simul & tyrannicidam, culleo insutum, in mare deturbasse, testatur. Anthiochus quoque Rex, vt Polybius[e] recenset Achæum inimicum sibi hominem, per fraudem ex Sardium arce deduxit, & vbi miserum illum admutilauit, & extremas eius partes succidit, deinde capite eius resecto, & in asininũ culleũ coniecto, reliquũ corpus crucifixit. Ex quâ historiâ Iustus Lipsius[f] & explicat, & emendat Ouidium[g], dum ait:

More vel intereas capti suspensus Achæi,
Qui miser auriferâ teste pependit aquâ.

Neque absimili ratione Tomyris Scytharum regina, filij necem, capto & occiso Cyro qui eum interfecerat

z Alex. li. 3. genial. c. 21.

a Erasm. Chil. 4. centu. 9. adag. 18. culleo dignus.

b Valer. li. 1. c. 1.

c Plut. in Gracc.

d idem li. de claris mulier.

e Polyb. li. 8.

f Iust. Lips. lib. 1. de cruce ca. 4.

g Ouid. in Ibim

cerat, vindicans, caput eius in culleum sanguine repletum, vt Herodotus[h] & Iustinus commemorant, coniici iussit, cum hâc exprobratione crudelitatis: *Satia te sanguine quem sitisti, cuiusque insatiabilis semper fuisti*. Barbarorum etiam quorumdam morem fuisse tradit Valerius[i], mactatarum pecudum intestinis & visceribus egestis, homines inserere, ita vt capitibus tantummodò emineant, atque diutiùs pœnæ vt sufficiant, cibo & potione infelicem spiritum prorogare: donec intus putrefacti, laniati sint animalibus, quæ tabidis corporibus innasci solent. Quod pœnæ genus Apuleius[l] elegantissimis verbis describit, quæ tamen ne nimis huius capitis moles excrescat, commodiùs erit apud ipsum auctorem legenda relinquere. Sed illud omitti non potest, pœnâ cullei adulteros quoque aliquando fuisse punitos, vt constat ex Constantij & Constantis A A. ad Catullinum decisione, in lege 4. quorum appellat. non recip. in C. Theod. vbi post alia, sic habetur. *Quod deinceps in huiusmodi criminibus conuenit obseruari, vt manifestis probationibus adulterio probato, frustratoria prouocatio minimè admittatur, cùm pari similiq; ratione sacrilegos nuptiarum, tãquàm manifestos parricidas insuere culleo viuos, vel exurere, iudicante oporteat.*

h *Herodot. lib. 2. Iust. lib. 1.*

i *Valer. li. 9. c. 2. in fin.*

l *Apulei⁹ lib. 7. asini.*

CAPVT XIIII.

Canis, Gallusgallinaceus, Simia & Vipera culleo insui quo primum tempore cœperint? Varias esse in hac quæstione Ærodij, Hotomanni, Magij, Coleri & aliorum sententias. Simiam planè, & viperam in hoc supplicio apud veteres inueniri. Gallum verò & canem non ita. Inde Hotom. in Modestini responso Triboniani manum agnoscere. An rectè? Quænam fuerit insuendorum horum animalium generalis inquiritur ratio, & explosâ ridiculâ quâdam antiquorum, alia Theophili vehementer probatur.

SIMVL cum parricidis, canem, gallumgallinaceum, simiam, & viperam, insui debere in culleum, atque in mare deijci, manifestis iuris nostri[a] auctoritatibus comprobatur. Et Cuiacius[b] se in sententijs Adriani Imp. quæ habentur inter glossas veteres, eandem pœnam legisse commemorat, eo tamen adiecto, vt parricida cum illis animalibus plaustro iuncto nigris bobus ferri in mare debeat, & in profundum demergi. Sed quo tempore, quâve ratione horum animalium cetui parricidæ fuerint aggregati, haud facilè scriptores cōperiunt. Nam quoad primum, sunt qui existiment[c], Ciceronis tēpore nullum ex his culleo insui, alioqui ab eo, dum tam diligenter parricidarum pœnam exaggerat prætermitti non potuisset; neque statim reddita ratio congrueret, dum tradit[d], maiores noluisse feris parricidæ corpus obijcere, ne bestijs quoque, quæ tantum scelus attigissent, immanioribus vteremur. Quoad secundum verò antiquiores omnes, & ex recentioribus multi, ridiculas adeò rationes excogitarunt, vt cōsultiùs me iudice facere viderētur, si, vt in alijs solent, ad Iuliani[e] dictum recurrerent, quo

a D.lēg.penul.d. l.vni.d.§.alia de inde.d.l.7.tit.7. part.7.cum alijs.

b Cuiac.in parat. & in postum.reci tat.ad tt.C.de his qui parent.

c Pet.Ærod.li.8. decret.tt.6.c.9. Hotom.in indice legū c.de l.Pōp. Magi9 4.misc.c. 8.P.Christ.Cole. parerg.c.3.

d Cicer.in orat. pro Roscio Amer.

e Iulia.in l.non omniū D de legibus, Cuiacius 8. obs.cap.12.

quo *non omnium quæ à maioribus tradita sunt, reddi posse rationem* admonuit, aut cum Senecâ[f] faterentur *Iureconsultorum responsa valere, etiam si ratio non reddatur:* aut cum Neratio[g] *rationes eorum quæ constituuntur inquiri non oportere, ne aliàs multa ex his quæ certa sunt subuertantur.* Ego autem, vt vtrâq; in re meum interponam iudiciũ, viperæ, & simiæ mentionẽ in hoc supplicio apud antiquos auctores reperio, vt suis locis ostendam; canis verò & galli, in Modestini dũtaxat, & Cæsarum de hâc pœnâ sanctionibus, ac proindè non omnino Hotomanni[h] opinionẽ reijcerem, qui existimat, Constantinianâ demũ lege hæc animalia cæteris superaddita, & verendũ esse, ne huius nouæ constitutionis causâ, aliquid Tribonian⁹ in Modestini[i] responso commiserit, nisi me in contrariũ Adriani sententia in veteri glossario ab Henric. Steph. relata vocaret, cuius infrà cap. 18. meminimus, ex quâ constat iam indè ab Adriani temporibus hæc omnia animalia includi solere. Quod autẽ ad causam, seu rationem spectat, ob quã hæc animalia parricidæ sociari iubentur, id circò institutũ videri potest, vt Aerodius[l] scribit, vt de eo nõ tãquàm de homine, sed tanquàm de bruto suppliciũ sumi videretur, quẽ ab hominib⁹ ad bestias remitterent. Aut, quod Theophil⁹[m] Græcus Institutionũ paraphrastes magis admittit; quoniã hæ belluæ similes parricidæ mores habere videãtur, cùm ex his aliæ parentes occidant: aliæ nõ se contineãt, quin cũ illis pugnent, & certẽt. Nã quod Cin⁹[n] & alij probarunt, ideò hanc diuersorũ animalium cõmixtionem fieri, quòd simia naturali timore percita fugetur à cane: simia gallum fuget, & gallus viperam; quæ omni destituta adiutorio, in parricidæ corpus, quasi in asylum ingreditur, & eius

f Sen. li. 14. epist.

g Nerat. in l. & ideò. D. de legib.

h Hotom. vbi sup. Vvesemb. in d. l. §. alia deind. n. 3.

i In d. l. pœna.

l Ærod. supra.

m Theoph. in d. §. alia deinde, quem sequitur Eguina. ibi.

n Cin⁹ in d. l. vni. C. q̃ his qui parẽt. Iacob. Baullen. in repet. l. capitaliũ §. famosos fol. 11. col. 1. D. de pœn. Ant. Gom. 3. to. cap. 3. num. 3.

& eius præcordia corrodens, tanti sceleris meritas exigit pœnas, anilem profectò fabulam, & ægri somnium esse nemo non videt, & adeò nugatorium commentum, vt vel pudeat illud cordatis hominibus in mentem venisse, & à nobis esse in hæc nostra scripta relatum. Sed verum nimirum est, quod olim in philosophiâ tradidit Plato[o], in Iurisprudentiæ hodie disciplinâ contingere, vt nullum sit delirium, nullum tam impudens mendacium, quod suos non habeat assertores. Quod & Plinius[p] his verbis scribit. *Mirum est, quò procedat Græca credulitas. Nullum tam impudens mendacium est, vt teste careat.*

o *Plato relatus à Petr. Crin. de honest. discip. li. 11. cap. 5.*

p *Plin. libr. 8. de nat. hist. ca. 22.*

CAPVT XV.

Canis quod cum parricida symbolum habeat? & cur simul cum illo culleo includatur? Forcatuli, & Couarrub. rationes, quòd immundus sit & impurus, vel quòd nimis erga dominos fidelis, multis priùs testimonijs, & exemplis ornatæ, posteà tanquàm minus ad rem facientes reijciuntur. Canum quorũdã docilitas, & fidelitas admirãda. De Vlysseo Cane nonnulla. Lares caninis tergoribus quare? Nouæ rationes vltra alios tẽtatæ. Rabidi canes dominos petunt. Canes in parentes crudeles. Matres saliunt. A Romanis odio habiti, & quotannis in supplicium rapti, & quare?

SED vt symbolicam vniuscuiusque ex his animalibus sigillatim perscrutemur rationem, & in quo parricidæ similitudinem habeant, tam ex auctorum sententijs, quàm ex ipsius naturæ penetralibus eruamus, à cane nobis initium faciendum est. Quem Stephanus Forcatulus[a] & Petrus Plaza ideò huic supplicio adhibitum putant, quòd scele-

a *Forcat. dial. 34. Plaza in epit. delict. cap. 22.*

ſceleratum, & immundum hominẽ oſtendit. Conſtat namq; canem, obſcœnum, & immundum animal eſſe, tum ex Virgilio[b], dum ait:

Obſcœniq; canes, importunæq; volucres.

& Horatio[c] ------ *Turpis & excors*

Vixiſſet canis immundus, & amica luto ſus.

Tum verò ex Plutarcho[d], qui hâc ex cauſâ ſcribit canem, in Athenienſium arcem admitti, fas non eſſe, nec Delum inſulam attingere. & ex alijs, quæ ex Tiraquello[e], eius ſuppreſſo nomine, ſibi Plaza[f] ſuppoſuit. Vnde eum, qui plus nimio ad impudentiam declinat, caninum oculum habere veteri prouerbio dici ſolitum, ex Polluce adnotauit Cælius Rhodig.[g] & eum qui facie canem referat, immundũ & impudentem hominem futurum, Ioannes Nicolaus Porta[h] teſtatur. Id quod adeò apud veteres conſtitutum, & exploratum erat, vt conuicij, & maledicti loco, ad alicuius turpitudinẽ, & inuerecundos mores notandos, caninum nomen vſurparetur. Hinc namque vt Laertius[i], & alij recenſent, Diogenes ille Philoſophus, quòd canum more paſſim, publicè, & nonnumquàm in foro, Venerem perageret, Cynicus dictus eſt. Et Terentius Chermetem, & Gnatonem ſic loquentes facit inter ſe, quodam loco[l],

Ch. *Diminuam ego caput tuum hodie niſi abis,*

Gn. *Ain verò canis? ſiccine agis?*

Et Horatius[m], in maledicum quemdam poëtam

Quid immerenteis (inquit) *hoſpites vexas canis*

Ignauus aduerſum lupos?

Et Veſpaſianus Demetriũ Cynicum in itinere obuium ſibi, ac neq; aſſurgere, neq; ſalutare ſe dignãtem, oblatrantem etiam neſcio quid, ſatis canem

habuit

b *Virg. 1. Georg.*

c *Horat. 1. epiſ. 2.*

d *Plutar. in problemagræc. ca. 3.*

e *Tiraq. in l. 15. connub. nu. 105.*

f *Plaza. d. ca. 22.*

g *Cæl. Rhod. lib. 17. ant. lect. c. 27.*

h *Ioan. Nicola⁹ Porta. de Phyſognomonia hum. li. 4. cap. 24.*

i *Laertius in vit. Diog. D. Aug. de ciui. Dei li. 14. c. 20. D. Chryſ. homil. in Math. 34.*

l *Terent. in Eun. act. 4. ſce. 7.*

m *Horat. in lib. Epod. Od. 6.*

habuit appellare, vt Sueton.[n] refert. Quibus testimonijs alia adfabrè adijcit Petr.[o] Faber, quemdam Ciceronis[p] locum ex his eleganter exponens. Quò fit, vt mirum videri possit, quod se apud veteres scriptores legisse Pierius[q] commemorat, Vulcani templum apud Aetnam Siciliæ montem fuisse, cuius locum incolerent canes, qui castè, pièque adeuntibus adblandirentur, impuros verò pollutosq; rem quasi diuinitus præsagientes, miserabiliter lacerarēt. Nec enim canes impudentiæ & obscœnitatis (impudici ipsi adeò & immundi) apti vindices videbantur. Verùm adhuc Forcatuli ratio licèt his auctoritatibus corroborata, à quæstione nostrâ toto quod aiunt cælo aberrare videtur. Quid enim rogo impudentia cum impietate? & cum crudelitate immunda canum natura, commune habet, aut simile? Quamobrem Did. Couarr.[r] aliam huiusce rei rationem commentus, scribit, Plinio[s] teste, canem fidelissimum homini animal esse, & idcircò ad arguēdam parricidæ infidelitatem, vt cum eo culleo insueretur inductum. Cui sententiæ plurima quidem, nec iniucunda relatu grauissimorum auctorum[t] testimonia fauent, qui exemplis adductis miram canū in dominos fidem, obsequium, & acceptorum beneficiorum memoriā, summis laudibus prosequuntur. Quod haud latuit doctissimum Virgilij interpretem Seruium, in illud Aeneid.[v]

Gressumq; canes comitantur herilem.

& epigrammatistam poëtam[x] dum ait:

Non sibi sed domino venatur Vertagus acer
Illæsum leporem qui tibi dente feret.

Et vt deficerēt alia, Vlyssei canis exēplo satis ostenditur, qui, post longa temporum spatia, Vlyssem in

patriam

n Suet. in Vespas. ca. 13.
o Pet. Fab. lib. 1. semest. c. 9.
p Ex orat. in Pisonem.
q Pier. Valerian. Hierogl. li. 5. fol. 40.
r Couarr. in Clement. si furiosus in initio 2. p. nu. 12.
s Plin. li. 8. c. 40.
t Pli. sup. Ælian. de hist. anim. li. 1. c. 9. Erasmus in adagio Canis vindictā. Patric. li. 1. de reg. tt. 6. Alexand. lib. 3. gen. c. 7. Natal. Com. lib. de venat. Cedren. inter Zonaræ annal. to. 3. fol. 99.
v Seruius in Virgil. 8. Æneid.
x Martial. li. 14. epig. 200.

patriam redeuntem, & domo à Penelope sub peregrini habitu receptum, primus cognouit, & motu caudæ adulans domino, illum Penelope vxori aperuit, vt ex Homero Baptista Pius[y] latè commemorauit. Qui ibidem ex Aristotele[z] tradit, hunc canē vigesimo anno mortuum, eòque Martialem[a] respicere dum longâ die consumtum, his verbis, ad rē etiam nostram facientibus, cecinit.

y Baptis. Pi'annotam. c. 3.
z Arist. hist. ani. lib. 6.
a Martial. li. 11. epig. 71.

Lydia dicebar domino fidissima dextra,
Qui non Erigones mallet habere canem
Nec qui Dictæa Cephalum de gente sequutus
Luciferæ pariter venit ad astra Deæ,
Non me longa dies: nec inutilis abstulit ætas
Qualia Dulichio fata fuêre cani.

Vnde, & apud Aegyptios, & alias nationes, canem & gratitudinis, & obsequij, atque obedientiæ Hieroglyphicôn esse, Pierius Valerianus[b] testatur, in signi cuiusdam canis exemplo relato, qui in Marcelli theatrum, spectatore Vespasiano, à Mimo domino introductus, omnia quæ ad scenam necessaria erant, quæque vix ab homine expleri possent, magnâ omnium admiratione collusit: modò mortuū simulans, modò tristem, modò hilarem vultum, vti fabulæ exigebat commentum, ostendens. Quod tamen, imò & fidem omnem illud excedere videtur, quód Ioānes Zonaras[c] grauissimus alioqui scriptor, de alio cane cuiusdam fabri æris Andreæ vocati, recensuit; ad quem spectandum anno imperij Iustiniani 17. confluente populo, multi suos annulos in vnum aceruum congestos ante canem posuerunt, quos domini iussu, cuique suum citra errorem attulit. Idem rogatus, quis ex his qui adessent diues esset, quis pauper, quæ mulier meretrix, quæ vidua,

b Pier. vbi supr. fol. 40. & 42.

c Ioan. Zonar. 3. tom. ann. fol. 94. refert cum multis alijs canū miraculis. Simon Maiol⁹ in diebus canicul. colloq. 7. pag. 245.

quæ vxor, & id genus alia: ea quoque omnia absque omni errore demonstrauit, veste cuiusque ad quæstionem ore prehensâ. Ex quibus iam satis colligitur quanta insit canibus erga dominos fides, & obseruatio, quantaque gratitudine illis educationis vicem rependant, pro quibus sæpe mortem etiam oppetere visi sunt; longè dissimili à parricidis ratione, qui mente præditi, naturæ legibus quas ex canibus discere poterant; insuper habitis, non modò parentibus non obsecundant, verùm in eos impias, sacrilegas, & nefarias manus audent inferre. Quibus illud quoque non ineptè subijci poterit, Lares Deos, quibus familiæ totius cura, à Romanis credita erat, caninis tergoribus, ac pellibus vestitos, & ornatos fuisse, non aliâ ratione, si Alex. & Pierio [d] fides est adhibenda, quàm quòd domus fidi custodes sint, & alienis formidolosi, domesticis verò blandi, atque ad strepitus nocturnos solliciti. Vndè non omninò malè forsitan coniectabimur, Dijs Laribus, patris familias nece, præsertim à filio eorumdem sacrorum participe [e] illatâ offensis, & violatis, canes, qui Lares ipsos significarent, cum parricidis esse in culleum immissos, vt patratum in Deos facinus expiarent, & paternæ necis competens supplicium deposcerent.

d *Alex. ab Alexãd. 3. gen. c. 12.* Pierius supra.

e *L. pronũtiatio. 195. §. familiæ de verb. signif. vide infra lib. 2. ca. 2.*

Verùm & si in re hâc cimmerijs (quod aiunt) tenebris inuolutâ, & in quâ natatore Delio ad certam rationem eruendam opus est, faciliùs sit aliorum opiniones reprehendere, quàm non reprehendenda in medium proponere. Laudo equidem Couarrubiæ iudicium, & nostris considerationibus stabilitum, non vsquequaque respuendum existimo. Sed quoniam Theophilus, quem supra retulimus, gene-

generaliter putat, hæc animalia culleo insui, quòd se aduersus parentes impiè quoque, & crudeliter gerant, videamus adhuc, an in cane aliquid simile reperiatur? Et verò ego illud tantùm comperio, eam esse huius animalis naturam, vt rabie percitum, non iam fidei, & educationis memor, dominum, & domesticos ab alijs discernat, sed imò illis plerumque tabificum inferat morsum, haud aliter quàm facere parricidas videmus, qui præfractis moribus, & ferocientibus animis, non iam diuina, non humana iura curantes, eos audent indignissimè vitâ priuare, propter quos hanc suauissimam lucem aspexerint. Nisi fortè dicere cum Pierio [f] malimus, canes eam ob caussam, idem cum parricidâ supplicium subire, quòd ipsi impiè etiam facere videantur, cùm & sorores, & matres saliant: vel cum Balduino [g], Canem, vt Plutarchus [h] scribit; quòd pugnax esset animal, atque in primis ferox, & immundum simul, fuisse ab omnibus olim templis prohibitum, ipsique sacerdoti, qui purissimum Deum coleret, abominabilem. Ac proinde rectè impio, & impuro, crudelique parricidæ adiunctum, qui parentem, quem veluti Deum quemdam colere debebat, violauit, & hoc veluti sanctissimum templum immani scelere profanauit; Vel tandem non minús probabiliter consideremus, canes, vt Plinius, & ex eo Cælius & Alexander ab Alexandro [i] retulerunt, iam olim à Romanis odio habitos, & patriæ proditores declaratos fuisse, eò quòd, in Capitolium irruentibus gallis, ipsi muti, & sine latratu egerint, anseribus ampliter, & sonorè inclamantibus, vnde

f *Pierius Valer. li.14. Hierog. fol. 107.*

g *Baldui. in d. §. alia deinde num. 30. & 31.*

h *Plutar. in problem.*

i *Plin. li. 29. c. 4. Cæli⁹ li. 17. c. 28. Alex. li. 3. c. 12.*

vnde eos quotannis in supplicium rapere, & inter ædem iuuentutis, & Sumani, cruci affigere, cœptum fuit, ansere insidente, cui contrà plurimum semper honoris detulerunt. Atque ita Romanos, odiosos sibi canes, cum odioso Dijs, & hominibus parricidâ, eodem supplicio perire voluisse: cùm non minùs qui patriam, quàm qui parentes violat & prodit, peccare videatur[l] quod & nos latiùs inferiùs notabimus, & Cicero[m] sensit, dum dixit: *Vim neq; parenti, neque patriæ inferri oportere*. Accedit his, infernales furias canum nomine denotari, illorumq; odium notabile esse, vt non inepte Tiberius Dec.[n] considerat.

l *L. veluti de Iust. & iure.*

m *Cicer. in 1. epist. ad Lentul.*

n *Tiber. Decian. li. 9. crimin. c. 16. nu. 12. vide adagium canis pei⁹ & angue odit.*

CAPVT XVI.

Gallusgallinaceus cur parricidam comitetur? Angeli delirium exploditur. Et Accursij item qui gallum gallinaceum malè castratum interpretatur, & pessimè castratos gallos reddi fortiores contendit. Gallinaceus cur appelletur? Galli appellatio varia. Galli Deæ Cybeles sacerdotes cur ita dicti? cum essent castrati. Pugnacissimos esse gallos, & naturâ vehementer viperis infensos, inde secundùm recentiores, parricidij pœnæ adaptari. Plura de gallorum pugnis, & vbi hodie in vsu. Vnde gallorũ ludus, qui à pueris Bachanalium tempore fit, originem duxerit? Galli in matres crudeles. Petrum Greg. in Lucretij Carminum allegatione fedè lapsum. Gallos nimis esse vxorios, & prolis amantes.

ECce Scyllam, ideſt insignem caninis latratibus scopulum, vix dum Neptuno fauente transuecti, iam iterum naufragium facim⁹, & in periculosum Charybdis saxum incidimus, cùm se se nobis Gallusgallinaceus offerat pertractãdus, in cuius exposi-

positione, & ecquid simul cum parricidâ culleo insuatur? reddendâ ratione, nullus est interpretum, qui feliciter vastum hoc pelagus transfretauerit, quique ingenij, & existimationis iacturam non fecerit. Nam, vt Angeli[a] ineptias præteream, qui gallum hunc, non pro gallinaceo accipiēdum contendit; sed pro volucre aliâ, quæ in terris Fori Iulij nascitur, ingentis, vt ipse ait, magnitudinis, & faciem multùm grossam habente. Accursius[b], non longè meliori iudicio gallumgallinaceum, capponem, idest castratum gallum interpretatur, quem, quòd acriter cum serpentibus dimicet, huic supplicio adhibitum putat. Cuius tamen opinio, & in verbis, & in re ipsâ falsa, admitti non potest. Certiùs namq; est, gallumgallinaceum, vt & Budæus[c], & alij notarunt, non pro castrato accipi, sed pro eo potiùs, qui testiculos habeat, & vt Quintilianus[d] rectissimè aduertit, sic interdum appellari, ob ὁμωνυμίαμ vitandam, idest errorem, qui ex nominum similitudine nasci posset; cum galli appellatio pluribus rebus conueniat, & simpliciter posita, vtrùm gentem, an auem, vtrùm nomen, an fortunam corporis denotaret, incertum vtique esset. Nec refert Cybeles Deæ sacerdotes, quibus genitalia abscissa erāt, gallos fuisse appellatos; nam id nomē, vt Herodianus[e] ait à flumine Phrygiæ Gallo, eis inditum est: quod & Sextus Festus Pomp.[f] luculentiùs his verbis ostendit: *Galli qui vocantur, Matris Magnæ comites dicti sunt à flumine, cui nomen est Gallo, quia qui ex eo bibissent, in hoc furere incipiant, vt se priuent virilitatis parte.* Et Ouidius[g] in Fastis, sic inquiens:

Cur igitur gallos, qui se excidêre vocamus?
Cùm tantùm à Phrygiâ, Gallica distet humus?

a *Angel. in d. leg. pœna.*

b *Accurs. in lege penult. de parric. & in l. vnic. C. de his qui parent.*

c *Budæus in annotatio. poster. ad d. l. penul.*

d *Quintil. lib. 7. inst. cap. 9.*

e *Herodian. li. 1.*

f *Fest. Pōp. lib. 7. de verb. sign. in galli.*

g *Ouid. 4. Fastor.*

Inter, ait, viridem Cybelem, altasque Celænas,
Amnis it insanâ nomine gallus aquâ.
Qui bibit inde furit. procul hinc discedite queis est
Cura bonæ mentis: qui bibit inde furit.

Quanquam alij, vt Rosinus [h] refert, aliam afferant etymologiam, & à Gallo quodam, qui primus Cybeles sacerdos fuerit, dictos eos fuisse arbitrentur. Rursus & in eo est Accur. totâ quod aiunt, decempedâ lapsus, quòd castratum gallum, fortiorem, validioremque ad pugnam fieri putat: Nam etsi Baldus [i] omne animal castratum excepto homine melius reddi tradiderit. Certiùs est tamen, quod ad vires attinet, gallum, vt & cætera alia animalia, molliorem, debiliorem, & timidiorem abscissis genitalibus reddi, propriùsque ad gallinæ naturam accedere, cantum amittere, neque eo temporis spatia metiri, oua incubare, & galli erga gallinas liberalitate amissâ, suo tantùm ventri studere, vt rectè scripsit Angles [l], & sentire videtur Martialis [m], dum ait:

Ne nimis exhausto macresceret inguine gallus
Amisit testes, nunc mihi gallus erit.

Et in Eunucho homine expressit Ouidius [n], sic dicēs:

Non tu natus equo, non fortibus vtilis armis;
Bellica non dextræ conuenit hasta tuæ.
Ista mares tractent: tu spes depone viriles, &c.

Quare his relictis, videamus an ne recentiores interpretes, congruentius aliquid hâc in parte repererint? Et sanè eorum fermè omnium [o] iudicium eò tendit, vt probent, gallumgallinaceum pugnacissimum esse, & admodum viperis, & reliquis serpentibus infensum, ideòque simul culleo insui, vt his pugnantibus grauius parricida affligatur.

h *Rosin. de antiquit. Roman. lib. 3. cap.* [illegible]

i *Bald. in l. 1. nu. 2. C. de Eunu. & in l. Eunuchis C. qui testam. fac. poss.*

l *Angles de proprietat. rerū lib. 12. cap. 17.*

m *Martial. li. 13. Epig. 63.*

n *Ouid. li. 2. amorum Eleg. 3.*

o *Ita sentit Forcat. dialo. 34. Couarrub. in d. Clement. Plaz. d. ca. 22. Balduin. in d. §. alia deinde, nu. 34. & Tiber. Decian. li. 9. crimi. cap. 16. nu. 11. qui statim aliā ridiculam rationem cōminiscitur.*

tur. In cuius rei confirmationem ego illud adijcio, adeò insitum esse naturâ ipsâ inter gallos, & serpentes dissidium. vt etiam mortui sibi adhuc repugnare videantur. Nam Plinio[p] teste, carnes gallorum, & crudæ, & calidæ, super viperæ morsum appositæ, veneno medentur. Rursus & illud, gallos ita esse pugnaces ferocesque, vt iuxta eiusdem Plinij[q] sententiam, dimicatione inter se se imperium, & regnum vniuscuiusque domus adquirant, neque finis sit sæpe commorientibus. Sed & Tanagreos, Medicos, & Calcidicos, idem Plinius extollit, quòd ad bella tantùm, & assidua prælia nati videantur. Et Pergami omnibus annis spectaculum gallorum, ceu gladiatorum publicè edi affirmat. Quin & Athenienses etiam legem posuisse, vt galligallinacei, quotannis in theatro certamen inirent, ex Aeliano[r], & alijs dedicimus. eò quòd cum Themistocles, exercitum aduersus Barbaros educeret, sumtâ ex gallis, quos pugnantes vidit, occasione, militum animis virtutis incitamentum iniecit. Romæ quoque has gallorum pugnas fieri solitas, ex Columellâ[s] & alijs latè Beroaldus[t] ostendit. Et apertè ex Herodiano[v] colligitur, qui cùm de Seueri filijs loqueretur, ita inquit: *Puerili primùm certamine, edendis coturnicum pugnis, gallinaceorumque conflictibus, ac puerorum colluctationibus.* In pluribus quoque Galliæ partibus, Bacchanalium tempore (carnis priuium vocant) hoc gallorum spectaculum per pueros annis singulis fieri, & galli vincentis dominum, regem gallorum creari, Nicolaus Boerius[x] recenset. Quò Hispaniæ item nostræ mos respicit, in quâ, licèt diuerso modo, pueri, rege gallorũ electo, eodem prorsus tempore gallos exagitant.

p *Plin. li. 29. de natur. hist. cap. 4. Angles sup. c. 16.*

q *Plin. li. 10. natur. hist. cap. 21.*

r *Ælian. li. 2. de var. hist. Cæl. lib. 17. ant. lect. c. 32. & lib. 9. cap. 13. Alex. lib. 5. gen. ca. 8. Erasmus in adagio Gallus insultat, & gallus submissis alis. Pier. lib. 24. pag. 223.*

s *Colum. li. 8. de re rust.*

t *Beroald. ad Sueton. in Octauio c. 44.*

v *Herodian. li. 4.*

x *Boerius decisione 30. num. 6.*

dez. 30L.

In.

In Angliâ etiam hodieque, non apud pueros modò, verùm & apud regni Satrapas, & optimates, has gallorũ concertationes in delicijs esse, & in aulâ regiâ, in hunc dumtaxat vsum, peculiarem locum, in palestræ formam constitutum, inibique à gallorum dominis magnam pecuniæ vim in sponsionem deduci, Doctor Laguna[y] oculatus testis scribit. Verùm licèt hæc ita se habeant, adhuc tamen vix est, vt supradictæ rationi acquiescere possim. Nam quòd galli inter se pugnacissimi sint, nihil ad versum (vt est in prouerbio) conducit, nihilque cum parricida commune videtur habere. Deinde quòd cum viperâ odium gerant internecinum, magis in viperæ, quàm in parricidæ pœnam spectat; qui, dum inter se bestiolæ illæ, insitum naturâ certamen ac bellum conficiunt, ab eorum morsibus liber, & innoxius manebit.

y *Lagun. in additionibus ad Dioscor. li. 2. c. 43.*

Vnde si diuinandum est, ego licèt Dauus sim nõ OEdipus, verosimilius esse arbitror, quod Pierius[z] existimat, gallum nempè eâ de causâ culleo insui iussum, quia & ipse impietatis symbolum habeat, cùm & matrem saliat, vt hippopotamus, & patrem etiam immaniter incessat. Vnde apud Aristophanem[a], Philippides, qui patrem verberauerat, exemplo galli factum tuetur suum, & Lucretius[b] quem in hanc rem Petrus Gregorius Tholosanus[c] allegat gallos ingratos esse in patres, sic de terrâ loquens, scribit.

Gallos attribuunt (scilicèt terræ) *quia numen qui violarint*
Matris, & ingrati genitoribus inuenti sint,
Significare volunt, indignos esse putandos,
Viuam progeniem, qui in oras luminis edant.

z Pieri⁹. *lib. 14. Hieroglyph. pag. 134. & lib. 24. pag. 224.*

a *Aristophanes.*

b *Lucretius li. 2. de nat. rerum.*

c *Petr. Greg. lib. 36. Syntag. cap. 24. num. 10.*

Quæ

Quæ tamen carmina vt ex præcedentibus constat, & ibi Dionysius Lambinus [d] aduertit, non de gallis gallinaceis, sed de Gallis Deæ Cybeles sacerdotibus, de quibus supra mentionem habuimus, intelligi debent. atq; ita minùs aptè à Petro Greg. adducta videntur. His ego illud tandem adijcio, non omnino gallorum, & parricidarum mores differre; nam sicut illi, soli in vnâquâq; domo esse conantur, neq; imperij, vt ex Plinio retulimus, consortem patiuntur: ita parricidæ, dum parentum hereditatibus inhiant, & bonorum administrationem liberam habere conantur, immani audaciâ parentum fata properant, & illis mortem inferre non timent. Sed neq;abs re erit si dixerimus, gallum in his impium, in multis tamen alijs & pietatis studiosum, & curæ erga sobolem valdè sollicitum. Hinc enim videmus, eum maximè gallinis deditum, ac velut vxorium esse, tantamq; turbam vnicum maritum implere, tum etiam pro pullis acerrimè depugnare, & vt ex auctoritate Ambrosij Leonis Nolani refert Erasmus [e] frequentem, & diei nuncium cantum emittere, dum prolis fœcunditati studet. atq; ideò mirum non esse, si ab impio filio, amantissimus sobolis gallus supplicium exigat. Sed quoniam hæc quæ de gallo scripsimus, & reliqua omnia, quæ ei à naturâ tribuuntur, exactè admodùm, & apprimè, carminibus complexus est Alardus Aemstelredamus [f], eis relatis huic capiti finem imponere visum est

d *Lamb in. in cōmen. Lucretij.*

e *Erasm. in adagio Gallus antequam iterum cantet. chil. 3. cēt. 7. adag. 67.*

f *Alard. Aemstel redamus inter lucubrationes Rodolphi Agricolæ.*

Quamquam multa vigil nobis fert commoda gallus,
Hæc tamen è multis commodiora putem:
Siue quòd obstreperè lucem vocat ore morantem,
Siue quòd instantem clamat adesse diem.

Siue quòd incautis solis denuntiat ortum,
Inq́; opera ignauos excitat artifices.
Siue quòd hæc cælum crebro sola aspicit ales,
Venturiq́; sagax excubat exitii.
Gallus gallinis præfectus pluribus vnus
Vnicus hic tanto vir satis vsque gregi est.
Fœcundus quò sit fœtus, numerosaq́; proles,
Cantans dulcisonâ prouocat illecebrâ.
Riualesq́; procul tectis ab herilibus arcens,
Non à corte foras longius egreditur.
Imperitatq́; suo generi, & quácumque moratur
Sede, sat exercet, quod tenet imperium.
Inq́; suo sterquilinio nimium audet, ouatq́ue;
Quisquis ferè propriis regnat in ædiculis.
Abstinet inuentis vngui quas scalpurit escis,
Argutoq́; salax conuocat ore pecus.
Gnauiter vxores, pullos, totamq́ue cohortem
Asserit, ac hostes calcibus extimulat.
Quod si palma datur, victor plaudentibus alis
Mox canit, ast victus clam fugit atque silet.
Deq́; propagatâ fœturâ & prolibus auctis,
Mirè solicitus, semper & aduigilans.
Sic vigil, assiduus, condus, frugique maritus
Prospicit vxori nocte dieq́ue suæ.
Coniugis vt castum possit seruare cubile,
Et paruos natos arte fouere suâ.
Non sua contemnens, aliena negotia curans
Claudus vti sutor desidet vsque domi
Semper ab hâc operâ, summo venerandus honore
Ille viri veri vera erit effigies.

CAP.

CAPVT XVII.

Viperam parricidæ similem esse, ideoq́ in eius supplicio adhiberi, cùm hæc quoque parentis viscera nascendo prærumpat. Hoc multorum auctorum argumentis probatur. Ex alijs posteà in dubium vocatur. Tandem prior opinio magis admittitur. Sacrilegi quomodo apud Æthiopes puniti? Hominum quorumdam natura, quibus venenata animalia non noceant.

VIPERAM simul cum cane & gallo culleo insui, non iuris tantùm, verùm humaniorum etiam litterarũ auctores passim ostendunt, licèt omnes & in nomine & in numero variẽt. Nam Modestin⁹ [a] & Iustinian. viperam appellant, Seneca [b] serpentem, *Non culleum, non serpentem, non carcerem decreuit*, Et alibi [c] *Imaginabar mihi culleum, serpentem, profundum.* Cui & Iuuenalis [d] conuenit, vbi, de Nerone loquens, ait:

Cuius supplicio non debuit vna parari
Simia, nec serpens vnus, &c.

Et vetus Onomasticon Petri Danielis, quod laudat Turnebus [e], & Christophorus Colerus, vbi culleus diffinitur, *Tunica de sparto in modum eronis facta, quæ linebatur pice & bitumine, in quâ includebantur parricidæ, cum simiâ, serpente, & gallo.* Hispana autem lex nostra [f], colubrum, siue anguem vocat, ibi *E que encierren con el vn can è vn gallo & vna culebra è vn ximio*, à quâ non differt Plutarchus [g] dum scribit Caium Villium proditorem, & seditiosum ciuem, in culleo cum anguibus insutum fuisse. Nisi quòd hîc plures angues insui ostendit, non vnum, quod & Quintilianus [h] insinuat, dum in declamationibus ait *culleo & serpentibus expianda feritas*, Et Constantinus Imperator [i] sic scribens de parricidâ:

a *Modest. & Iustinia. ille in d. l. pœna, hic in d. §. alia deinde.*
b *Senec. lib. 1. de Clem.*
c *idem contr. 5. cont. 4,*
d *Iuuen. satyr. 6.*
e *Turneb. li. 28. aduer. c. 5. Coler. li. sing. parer. c. 3.*
f *L. 12. tt. 8. p. 7.*
g *Plutar. in Gracchis.*
h *Quint. declam.*
i *Constant. in d. l. vni. C. de his qui parent.*

Et inter eas ferales angustias comprehensus, serpentium contuberniis misceatur. Sed rectè Hieronymus Magi[o][l] pluralem pro singulari, vt aliàs sæpe, ita in his locis apponi, considerat. Quamuis quoad Constantini sanctionem, veriùs sit, ibi serpentium nomine reliqua alia, quæ cum parricidâ misceri iubentur, animalia contineri: nam anteà viperæ mentionem in singulari numero fecerat. Cur verò vipera huic supplicio adhibeatur? longâ explicatione non eget, cùm omnium[m] consensu ea parricidæ symbolum habeat, & simili delicto videatur obnoxia: nam vt Plinius[n] & Aristoteles tradunt, non nisi exeso parentis vtero prorumpit in lucem, & per parricidium vitæ ducit initia. Vipera quippè fœmina ore marem excipiens, eius sub finem coitus caput obtruncat. Illam autem prægnantem catuli exedunt, & veluti paternæ necis vltores, exeuntes, latera, parente occisâ, perrumpunt. Vnde apud Aegyptios, vt Orus Apollo[o] & Pierius recensent, mulierem ob solum concubitum marito assentantem, per viperam significabant. Quod Adrianus etiam Iunius[p] eleganter in suis Emblemat. expressit, sic inquiẽs.

Cum ruit in Venerem blanditur Echidna marito,
Mox satura insertum præscidit ore caput.
Improba palpatur tentigine feruida coniux
Continuò letum, poscit anhela viri.

Et quod ad rem nostram propriùs spectat, liberos in matrem conspirantes, eique insidias parantes, eiusdẽ viperæ Hieroglyphicâ notâ repræsentabãt, vt vltra supradictos auctores, Cælius Rhodiginus[q], sic etiam leges, quæ viperam parricidæ sociari volunt, interpretatus, scripsit. Qui idem alibi[r] quodnam serpentis genus hoc sit, quod latinè vipera dicitur,

l *Magius lib. 4. miscel. cap. 8.*

m *Ita post ordinarios tradit Balduin. nu. 33. in d. §. alia deinde. Forcat. d. dialog. 34. Couarr. d. Clem. Petr. Greg. d. lib. 36. ca. 24. Plaz. d. c. 22. num. 7.*

n *Plin. li. 11. ca. 44. & li. 8. c. 54. Arist. li. 2. d. hist. anim. cap. 8.*

o *Orus. Appol. de lit. Hierog. Pierius li. 14. in prin.*

p *Adrian. Iun. Embl. 38.*

q *Cæl. Rhod. li. 6. cap. 13.*

r *Idem eodem. li. cap. 16.*

citur, latè disquirit. Sed fuerunt tamen nonnulli nec contemnendæ fidei auctores, qui, hoc totum, quod de viperis diximus, fabulam esse affirmant. Nam neque in coitu fœminam mariti caput præscindere, Albertus Magnus[s] testatur: Neque sobolem abroso matris vtero in lucem prodire, Philostratus[t] in Appollonij vitâ scriptum reliquit, vbi *viperam esse visam* (ait) *serpentes quos peperisset lambentem, quasique expolientem. Non enim assentior ô Damis, imprudenti eorum sermoni qui dicũt, viperarum filios absq; matre nasci; Neque enim hoc natura patitur, neque comprobat experientia.* Sed & Theophrastus[v] summæ diligentiæ inter Græcos scriptor, matris vterum à catulis excdi negat, & mortis, sicubi contingit, caussam inde procedere comminiscitur, quòd aluus sponte rumpatur, vtpotè quæ angusta adeò sit, vt tam numerosæ prolis multitudinem & incrementũ capere nequeat. Et experientiâ compertum esse, viperas, aliorum instar animalium coniungi, parere, fœtusque suos educare Pierius Valerianus[x] & nouissimè Simon Maiolus latè testantur. Verùm vt hoc ita sit, communis tamen, quæ de viperarum parricidio increbuit opinio, satis in caussâ esse potuit, vt prudentissimi legislatores, eam cum homine eiusdem criminis reo consuerent. Et verò adduci non possum vt credam, Aristotelem, Plinium, Aelianum, & alios nobis imponere voluisse. Quin & historiæ patrem Herodotum[y] comperio, inter alia, quæ natura parens prouidenter induxit, hoc, quod de viperarum morte retulimus, connumerare, *ne alias si communi aliorum serpentium more gignerentur, hominibus viuendi facultas non esset.* Nicander etiã & Galenus vt Pierius[z] refert, in eandem sententiã plura

s *Albert. Magn. & alij quos refert Pet. Mex in Syluâ var. lect. li. 3. cap. 11.*

t *Philost. in vit. Appoll. li. 2. c. 8.*

v *Theophras. relatus à Pier. sup. & Ælian. li. 14. cap. 16.*

x *Pier. d. li. 14. Simon Maiolus dierũ canicularium colloquio 8. pag. 334. & 335.*

y *Herod. li. 3.*

z *Pierius supr.*

plura scripsere. Nicandri verò carmina á Pierio Latina reddita, quia pulchra omitti non possunt. Ea igitur post alia sic habent.

Vipereo occurras generi, namque illa in apertas
Excipiens semen fauces: caput inde mariti
Complexu in dulci abscindit: mox damna parentis
Extincti, fera progenies vlciscitur, aluo
Maternâ abrosâ, & catuli sine matre oriuntur:
Sola etenim hæc animat fœtum, &c.

Diuus quoque Basilius [a] *Viperas* (inquit) *vtero deuorato fama est in lucem prodire.* Et Plutarchus loquaces taxans, eos viperis persimiles dicit, quæ pariendo rumpuntur. Ex quibus apparet meritò viperarum morsibus, & venenis parricidas obijci, qui viperas ipsas, immanitate & impietate, & æquant, & superant. Neque mirum si cum viperâ proijciantur: nam & sacrilegij reos, (qui parricidis, vt alibi diximus, similes sunt, vtriusq; enim sceleris radix est auaritia) ita puniebant Aethiopes, vt plantam quãdam, quæ apud eos est, nomine Ophiusam, liuidam, difficilemque aspectu bibere cogerent: Eâ enim epotâ, vt Plinius [b] recenset, terrores minæque serpentum ita eorum oculis obuersantur, vt horrore venenatorum animantum sibi mortem conciscant. Planè cùm de viperis agamus, illud minimè prætermittendum fuerit. homines quosdam esse, quibus illæ, & reliqui venenosi serpentes nihil afferant nocumenti, vt de Psylorum & Marsorum populis plurimi [c] tradiderunt: visumque Romæ, vt refert Petrus Crinitus [d], Exagonum quemdam, qui cum forte in vrbe orator ageret, ac venenorum vires potestatemque iactaret; volens, experimenti faciendi causâ in dolium serpentibus plenum coniectus est, qui, non sine

a *D. Basilius. in exam.*

b *Plin. li. 24. ca.*

c *Plin. 36. ca. 7. Herod. li. 3. Varro in loco citato à Turneb. libr. 16. adu. c. 6. Cælius li. 4. lect. ant. ca. 23*

d *Petrus. Crin. de hon. disc. li. 1. c. 3.*

ſine maximâ omnium admiratione, cum circumlambere, atque demulcere cœperunt.

CAPVT XVIII.

Quid habeat ſimia cum parricidâ commune? Forcat. Balduin. Petr. Gregor. & Couarrub. rationes confirmatæ priùs, deinde reiectæ. Alia quæ nec ipſos latuit magis probata. Plura de ſimiarum naturâ, & hominum imitatione. Catulos ab eis interdum nimis complectendo necari. Animalia quædam parentes occidere.

SED prodeat iam ſimia, quamque in hâc tragœdiâ perſonam agat, nobis aperiat. Nam quod Forcatulus [a] putat ideò culleo inſui, quòd ſimilis ſit homini, interim & deformis, ſicuti parricidæ, qui ſub figurâ hominum, immanitatem belluarum gerunt, mihi longè admodùm petitum videtur. Rurſus quod Balduinus [b] & Petrus Gregorius admittunt, per ſimiam ſignificari, parricidas formam quidem habere hominum; at re ipſâ hominis nomine indignos eſſe, & nihil hominis, præter formam habere, ſicut Socrates olim homines ſine ratione ſimias vocabat; eodem planè morbo laborat, & minùs apta ratio videtur, ſi cōſideremus eum, qui infandum parricidij ſcelus cōmittit, non beſtias immitari, quas Tullio teſte [c] inter ſe ſe partus, educatio, & natura conciliat: ſed imo eis aduerſari cenſendum eſſe. Nam belluæ non ſolùm in parentes, verùm neque in alias ſui generis dimicant, & vt rectè ait Plinius, *Cætera animantia in ſuo genere probè degunt. Leonum feritas inter ſe non dimicat, ſerpentum morſus non petit ſerpentes:* *ne ma-*

a *Forca. dial.* 34.

b *Balduin. in d. §. alia nu.* 33. *Petrus Greg. d. cap.* 24. *num.* 9. *Tibe. Dec. lib.* 9. *crim. ca.* 16. *num.* 14.

c *Tullius in orat. pro Roſcio.*

ne maris quidem belluæ, ac pisces, nisi in diuersa genera sæuiunt. At herculè homini plurima ex homine sunt mala. Accedit his, quòd, vt ex Theophilo[d] sæpe admonuimus, animalia isthæc, quæ cum parricidâ includuntur, crudelitatis, & impietatis aliquid etiam habere censentur. Quod, & Adriani imperatoris sententiæ, quas cum veteri Glossario Henric. Stephanus[e] vulgauit, satis ostendunt, dũ iubent, *Vt qui parricidium fecerit, publicè in culleo missus consuatur cũ viperá, & cane, & simiá, & gallo impiis animalibus, impius homo.* At in simiâ secundùm superiorem rationem nulla impietatis consideratio reperiri potest. Quod idem in causâ est, vt minùs probem aliam Didaci Couarrub.[f] sententiam, qui docet ideò forsan, simiam pœnæ parricidij conuenire, vt nulla sit tanti facinoris apud homines imitatio; quos nullum animal perfectiùs imitatur, quàm simia, vt Plinius[g], & Arist. tradunt, quæ nedum corpore, sed ingenio quoque, & ratione eis similes sunt, vt multis exemplis Pierius[h] demonstrat, qui, apud Aegyptios litterarũ simulacrum per simias intelligi tradit. Ergò restat, vt eiusdem Pierij[i] iudicium sequamur, quod & supradicti etiam auctores variando probant: et simiã parricidij item ream esse dicamus cũ frequenter catulos ipsos quos peperit, nimis complectẽdo occidere soleat. Quamuis Iuuenalis[l] eam innoxiam hoc supplicio affici ostendat, dum ait:

Et deducendum corio bouis in mare, cum quo
Clauditur aduersis innoxia simia fatis.

qui tamen alibi[m] sine hoc adiectiuo eiusdem in hâc pœnâ fecit mentionem, inquiens:

Cuius supplicio non debuit vna parari
Simia, &c.

d *Theoph. in d. §. alia deinde.*

e *Henr. Stephan. in glossar.*

f *Couarrub. in d. Clem.*

g *Plin. li. 8. c. 54. Arist. de hist. ani. li. 2. ca. 18.*

h *Pier. li. 6. Hieroglyph.*

i *Idem Pier. d. li. 6. & libr. 14. ex Plin. & alijs.*

l *Iuuen. saty. 13.*

m *Idem. satyr. 6.*

Sed

Sed neq; hæc tantùm animantia, quæ his ex causis culleo insui tam latè explicuimus, parricidij scelere contaminantur, verùm etiam Phalangia, eâdem prorsus impietate sunt prædita: hæc enim fœtu numeroso (quippè supra triginta interdum edita) matrem, quàm primùm orta fuerint, interimunt, interdum & patrem, quæ tamen veluti talionem rependentia, demū à suis ipsa, vt Plinius [n], & Aristoteles aiunt, necantur. quod & in scorpionibus accidit, hi enim fœtum deuorant, vno demto subtilissimo, qui se matris clunibus imponendo, tutus & à morsu, & à caudâ loco fiat. Qui posteà genitores supernè cōficit: quasi natura impunita quoque in brutis parricidia relinquere nolit, vt supradicti etiam auctores [o] testantur. Hippopotami autem, seu equi fluuialis, (vt polypos interim taceam) nihilò mitior est natura: is enim soli Nilo cognitus, corio & pillis vestitus, vt vitulus marinus, genitore quoque suo non parcit, sed in id impietatis, & impudentiæ procedit, vt eo necato, vi matrem ineat, vt ex Ammiano Solino, & alijs, Adrianus Iunius [p] commemorat, impios puniri debere, hoc elegantissimo emblemate ostendens.

Hostis colubris ales insidet sceptro,
Substrata quod Niloi equi premit terga.
Domat superbos, impiosque proculcat
Sceptrum æquitatis, noxiosque consumit.

n *Plin. li. 11. ca. 24. Arist. li. 5. c. 27.*

o *Plin. d. li. 11. c. 25. Arist. d. li. 5. ca. 26.*

p *Adrian. Iunius embl. 17. & 45.*

L CAP.

CAPVT XIX.

Parricidas culleo cum animalibus inclusos in mare iactari. Hoc solemne fuisse, neque ante Constantinum in flumen dimissos. Qualiter in mare deferrentur. Ciceronis verba in dubium vocata. Accursij & aliorum opinio qui in Modest. responso mare pro flumine accipiunt explosa. Iurisconsultos semper propriè loquutos. Fuisse aliquando parricidas bestijs, aut igni traditos. Quædam de his pœnis.

PROGREDIAMVR vlteriùs, & egregium nouæ huius, & inauditæ pœnæ candidatum, hoc animalium (de quibus tàm latè egimus) contubernio inuolutum; hoc totius Auerni sodalitio comitatum, in profundum præcipitemus. Certè enim priscis temporibus non nisi in mare tanti criminis reos deijci solitos, argumentis euincitur necessarijs. Nam & Modestinus[a] de hoc agens supplicio, *Deinde* (inquit) *in mare profundum culleus iactetur*. Et Paulus[b], *Hi etsi anteà insuti culleo in mare pæcipitabantur.* Et Valerius Maximus[c], Attilium Duũvirum sacrilegij reum, qui primus hanc pœnam, posteà parricidis irrogatam, expertus est, culleo insutum in mare abijci iussum scribit. Neque enim tantum monstrum fas esse putarũt in Tiberim Romæ deijcere, & in mare licèt remotũ, deportari voluerunt. Vnde Plautus[d], *Iube hunc insui culleo atque in altum deportari.* Et Seneca[e], *Imaginabar mihi culleum, serpẽtem, profundũm.* Sed & Quintilian9[f], & cæteri fermè omnes auctores, sicubi huius pœnæ, maris quoq; mẽtionem faciunt, Et Iuuenalis[g] sæpe citatus, deduci in mare parricidam significat, dũ ait:

Et deducendum corio bouis in mare.

a *Modest. in d.l. pœn. de parric.*
b *Paul. li. 5. sent. tt. 24.*
c *Valer. li. 1. c. 1.*
d *Plaut. in Vidularia.*
e *Senec. 5. contr. 4.*
f *Quint. declam. 299.*
g *Iuuen. saty. 13.*

Fiebat

Fiebat autem deductio, vt ex Adriani sententijs Cuiacius[h] aduertit, & nos alio loco[i] retulimus, imposito parricidâ cũ culleo, & impijs animalib⁹, super plaustrum iunctum nigris bobus. Quamuis Cicero[l] in flumen, seu profluentem deturbari, & vndis culleum vento inflatum impellentibus demum in mare deferri apertè significet, dum maiores noluisse inquit parricidas *nudos in flumẽ deiici, ne cùm delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cætera quæ violata sunt expiari putantur.* Sed illud, vt constat, magis frequens; hoc rarũ & fortè posterioribus temporib⁹ antiquatum; neq; enim sine causâ scriptores omnes de deductione, & deiectione in mare conueniunt. Valeat ergò Accursi⁹ cũ suis logomachijs, qui Modestinum[m] ideò de mari tantùm loquutũ autumat, quòd vbi ille morabatur amnis non esset. Facessat iterũ Accursi⁹ idem[n], & qui eum sequũtur grauissimi viri, mare in Modestini respõso latè accipiendũ esse tradẽtes, ita vt amnẽ & quamcũq; aliam aquarũ congregationem cõprehendat. Nã etsi hoc aliquãdo verũ sit, vt admonet Serui⁹[o] in illud Virgilij,

Vnde per ora nouem vasto cum murmure montis
It mare præruptum, & pelago premit arua sonanti.

Et latè probare conetur Couarrub.[p] mihi tamẽ apud Iureconsultos hæ verborũ translationes nõ placent, qui, cùm ius omne, vt Quintilian⁹[q] ait, *positum sit in verborum significatione & interpretatione, aut æqui prauique discrimine*, semper latini sermonis puritatem, & proprietatem vsque ad miraculum, vt testatur Valla[r], retinuerunt, atque ita credendum non est, fluminis mentionem sine mysterio prætermisisse[s]; & longè minùs sub maris nomine de amni quoque tractasse. Amnis etenim Constantinianâ

 pri-

h *Cuiac. in parat. C. de his qui parẽt. & in oper. posthumo.*

i *Supr. hoc li. ca. 14.*

l *Cicer. in orat. pro Rosc. & lib. 2. de inuent.*

m *Modest. in d. l. pœna, vb Accur. & in d. l. vnic.*

n *Accur. sup. Forcatul. dial. 34. Couarrub. in d. Clemen. Plaz. d. cap. 22.*

o *Seruius in Virgil. 1. Æneid. & Turneb. li. 10. aduer. cap. 11.*

p *Couarrub. sup. post Forcat.*

q *Quintil. li. [illegible]. inst. c. 3.*

r *Laur. Valla in præfat. lib. 3. Elegan.*

s *Argum. l. item apud §. ait prætor D. de iniur.*

primùm sanctione[t], vbi mare vicinum non esset, parricidas excipere cœpit, vt in illis verbis ostenditur, *Et vt regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnem proiiciatur*. Quæ & Iustinianus[v] transcripsit, & Regia lex nostra[x] ita Hispano sermone donauit, *E lo lancen en la mar, ô en el rio que estouiere mas cerca de aquel logar do acaesciere*. Anteà namque si proximum mare non esset, bestijs obijcebantur, idque ex Diui Adriani permissione vt Modestinus[y] scribit, ne cogerentur remotissimum interdum mare requirere. Quæ pœna leuior culleo censeri non debet, quoniam, qui bestijs obijcebantur, miserandum in modum eis dilaniandi, & deuorandi proponebantur, diuerso ab eis supplicio, qui ad bestias damnati erant, quos tantùm cum illis dimicare cogebant, vt ex Iurisconsultorum[z] respōsis Budæus[a], Ræuardus, Petrus Faber, & alij (quidquid Cuiac.[b] nullum inter has pœnas discrimen agnoscat) obseruant. Sed & solebant etiam parricidæ aliquando, vt ex Paulo[c] colligitur, viui comburi. Erant enim hæc inter Romanos in delictis atrocioribus supplicia. Vnde Tertullian.[d] *Si cæterorum scelerum mercedem cogitemus, patibula, culleos, viui comburia, vncos, & scopulos.*

t *d.l. vnica.*

v *Iustin. d. §. alia deinde.*

x *d.l. 12. tt. 8. p. 7.*

y *Modest. d.l. pœn.*

z *L. ad bestias. l. aut damnum §. quicumq; D. de pœnis.*

a *Bud. in dictis ll. Ræuar. 2. var. c. 14. Petr. Fab. 2. sem. c. 7.*

b *Cuiac. li. 13. obser. c. 10.*

c *Paul. d. li. 5. sententt. tit. 24.*

d *Tert. li. de anima cap. 15.*

CAPVT XX.

Parricidas monstra quædam & portenta naturæ videri. Inde meritò nouâ & inusitatâ pœnâ damnari. Elementa communia omnium esse. His tamen parricidam iustè viuum adhuc priuari. Ciceronis, Quintiliani, & Ouidij in hanc rem elegātissima verba. Debere pœnas delictis esse conformes. Petri Plazæ ratio quædam, ob quam parricidæ in mare iactentur, conuicta & damnata.

Mon-

MONSTROSOS partus ex Romuli lege[a] cædi sine fraude potuisse, antiquitatis monumenta testantur: quid igitur mirum, si in parricidæ perniciem, hominem si non visu & vagitu nouum[b], at certè contrà humanæ naturæ formam, & pietatis iura grassantem, tot supplicia prudentissima Romanorum respublica cogitauerit? *Portentum est* inquit Cicero[c] *atq; monstrum certissimum, esse aliquem humanâ specie, & figurâ, qui tantùm immanitate bestias vicerit, vt eos vitâ priuet, propter quos hanc suauissimam lucem aspexerit*. Et Minos apud Ouidium[d] Scyllam, quæ patrem Nisum prodiderat, & perdiderat, monstrum appellat:

Certè ego non patiar Iouis incunabula Cretem
Qui meus est orbis, tantum contingere monstrum.

Pereant igitur huiuscemodi monstra monstrosè, & vt Constantinus[e] ait, neque gladio, neque ignibus, neque alij solemni pœnæ subiugentur, sed culleo feralibus angustijs inclusa, omnium elementorum ope viua carere incipiant, & eis cœlum superstitibus, mortuis terra negetur. Et qui naturalia omnia iura violarunt, omnibus naturæ beneficijs priuentur. Sed quoniam Cicer.[f] graphicè, vt solet alia, pœnam hanc, & eius imponēdæ rationem depingit, ipsius verba, quamuis vulgaria, absq; piaculo omitti non possunt. *Insui* (inquit) *voluerunt in culleum viuos, atque ita in flumen deijci, ô singularem sapientiam iudices, nonnè videntur hunc hominem ex rerum naturâ sustulisse, & eripuisse, cui repentè cœlum, solem, aquam, terramq́ue ademerunt? vt qui eum necasset, vnde ipse natus esset, careret his rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse dicuntur. Noluerunt feris corpus obiicere, ne bestiis quoque quæ tantum scelus attigissent, immanioribus vteremur; non sic nu-*

a *Quā refert Balduin. ad ll. Rom. c. 18. ex Dionys. Halicar. li. 2. & Iacob. Durāt. li. 1. var. cap. 3. vbi tradit, cur in mare iactarentur.*

b *L. non sunt liberi. D. d stat. hom.*

c *Cicero d. orat. pro Ros.*

d *Ouid. li. 8. Metamor.*

e *Const. d. l. vnic.*

f *Cicer. d. orat. pro Roscio.*

dos in flumen proijcere, ne, cum delati essent in mare. Ipsum polluerent, quo cætera quæ violata sunt expiari putantur. Denique nihil tam vile, neque tam vulgare est, cuius partem vllam reliquerint. Etenim quid tam est commune, quam spiritus viuis? terra mortuis? mare fluctuantibus? litus eiectis? Ita viuunt dum possunt, vt ducere animam de cœlo non queant; ita moriuntur, vt eorum ossa terra non tangat: ita iactantur fluctibus, vt numquam alluantur: ita postremò eijciuntur, vt ne ad saxa mortui conquiescant. Hæc Cicero adolescens adhuc, magnis, vt ipse alibi [g] ait, omnium clamoribus dixit. quæ licèt adolescentis appellet, non tam re & maturitate, quàm spe & expectatione laudati, mihi supra omnem laudem, & imitationē posita esse videntur. Quāuis nec contēnendus videatur Quintilian⁹ [h] qui Ciceronis sententiā, alijs verbis, sic extulit. *Tumulo tectus videretur, cui leges terram negant? cui statim ora, oculosq; à iudicio lex iussit obduci, ne hunc iucundum cœli aspectum polluerent tetri oculi, cui lucem viuo, fluctuanti mare, naufrago portum, morienti terrā, defuncto sepulchrū negat?* Sed & Ouidi⁹ [i] ad eandē pœnā respiciens, ita cōtra Scyllā inuehitur.

g Idem Cicero de oratore perfecto ante medium.

h Quintil. in declam. 299.

i Ouid. metam. 8.

Dij te submoueant, ô nostri infamia secli,
Orbe suo, tellusq; tibi, pontusque negetur.

Nā etsi naturali iure, vt Consulti testantur [l], cōmunia omniū sint terra, aër, aqua proflueēs, mare, & per hoc litora maris, & vt Cicer. [m] ait, ex præceptis naturalib⁹ descēdat, ne quis harū rerū vsu impediatur, indeq; publica munera ab Ouid. [n] appellentur dum Lucinam sic loquentem inducit.

l L. 2. de rerū diuis. §. inst. eod.

m Cicer. 1. offic.

n Ouid. 6. metam.

Quid prohibetis aquas? vsus communis aquarum est.
Nec solem proprium, natura, nec aëra fecit
Nec tenues vndas, ad publica munera veni.

Et quorumdā Impp. immoderata cupiditas meritò à Cuia-

à Cuiacio [o] execretur, qui pro aëre, pro sole, & pro vmbrâ, vectigalia à subditis exigebãt. Attamen parricidæ beari naturæ muneribus nõ debuerũt, qui ipsam naturã adeò immani scelere violarũt [p]. Cùm nõ debeat quis eo iure vti, quod nisus extitit impugnare [q], & vt sapiẽter Tulli⁹ [r] scripsit, noxiæ parem esse pœnã oporteat, vt in suo quisq; vitio plectatur, & vis capite, auaritia mulctâ, honoris cupiditas ignominiâ, & parentũ idest, naturæ violatio, naturalium omniũ bonorũ priuatione sanciatur. Nimirũ quia, vt rectè Philo Iudæ⁹ [s], *Inepti sunt Nomothætæ, qui nõ æquas pro dignitate cuiusq; flagitij animaduersiones statuũt, qui vi pecuniã, vulneri infamiã, cædi exsiliũ, furto vincula minitãtur.* Quasi disparia illa dissẽtaneaq; suppliciorũ genera, benè moratæ atq; institutæ ciuitati parùm cõueniãt, vt doctè Guill. Forner. [t] aduertit. Quo fit vt decumano errore lapsus videatur quidã scriptor [v], qui dũ plus nimio sibi sapere iudicat, Ciceronis, quã scripsim⁹, ratione neglectâ, aliã ex suo Marte cõmẽtus, autumat, parricidã ideò culleo inuolutũ in mare deduci, vt ad rerũ principia redeat, qui patrẽ impiâ manu violare ausus est. Nempe quòd aqua, vt ex Taletis Milesij sẽtẽtiâ, Cicero [x], & alij scripsere, rerum omnium principium sit, vnde Ausonius [y].

Milesius Tales aquam qui principem
Rebus creandis dixit.

Sed in hunc, vt in alios nostri iuris auctores, equidem illud Terentianum [z] existimo conuenire.

Faciunt intelligendo, vt nihil intelligant.

Nã, vt aliquid ei [a] ratio cõcluderet, illud potiùs esse debebat, priuari parricidas aquâ rerũ omnium principio, quòd ipsi, genitores à quibus viuendi initium accepissent, immaniter interfecerint.

o Cuiac. li. 10. obser. ca. 7.

p Ita aduertit solus Monticulus in d. §. 1. nu. 3.

q L. Papin. §. meminisse de inoffic. test.

r Tulli⁹ li. 3. de legibus.

s Phil. Iudæ in li. de præmijs & pœna. Menoch. q. 90. de arbitr. nu. 38.

t Guillel. Forn. li. 1 select. c. 15.

v Petr. Plaza. in epit. delict. c. 22. nu. 8.

x Cic. li. 1. de na. Deor. Plut. li. 2. de placit. phil. ca. 3. Vitru. li. 2. c. 2.

y Auson. in sep. sap. ludo. Tradit plura alia Tiraq. de nobil. c. 31. nu. 586.

z Terent. in proœmio Andriæ.

CAP.

CAPVT XXI.

Parricidas, vt Cicero ait, ideò nudos in mare non deijci, ne ipsum, quo reliqua expiari solent, polluerent. Ratio hæc difficilis reddita. Nec à Cælio Rhodigino aut alijs satis percepta. Aquâ fluuiali leuiora, grauiora crimina mari expiari solere latè probatum. Aquæ benedictæ apud nos in templorum ostijs origo. De expiationibus veterum plura. Parricidij crimen nullam apud gentiles expiationem admisisse. Hoc cum Illustriss. Card. Baronio defensum, & necessarijs argumentis euictum.

ILLVD planè mirum videri potest, quod in superiori capite ex Cicerone retulimus, noluisse parricidas nudos in flumen proijcere, ne, cùm delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cætera, quæ violata sunt, expiari putantur, Nam vt à iustis, vel coactis cædibus, alijsque leuioribus peccatis, & sordibus fluuialibus, lustralibusque aquis purgatio, & expiatio fieri solebat, vt latè Macrobius [a] adnotauit, & ex Suidâ, & alijs ostendit Tiraq. & Petr. Greg. [b], & ex Virgilio [c] constat, apud quem Aeneas violatũ cùm se nosset, & multâ cæde pollutũ, sic ait:

> *Tu Genitor cape sacra manu, patriosq́; penates*
> *Me bello è tanto digressum, & cæde recenti*
> *Attrectare nefas, donec me flumine viuo*
> *Abluero.*

Et alibi [d]

> *Idem ter socios purâ circumtulit vndâ*
> *Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ.*

Et ex Ouidio [e] qui ad hoc etiam alludit in Fastis.

> *Heu nimium faciles, qui tristia crimina cædis*
> *Fluminea tolliâ posse putatis aquâ.*

a *Macrob. li. 3. satur. cap. 1.*

b *Tiraq. de nobil. c. 31. ex nu.* 558. Pet. Greg. li. 36. Syntag. ca. 21. in princ.

c *Virg. 2. Æneid.*

d *Idem Virg. 6. Ænei. quē ex hoc ritu explicat. Turneb. li. 11. aduers. cap. 21.*

e *Ouid. 2. Fastor.*

Quem

Quem ritum etiam in veteri lege fuisse vsitatum ex Numeris [f] constat, *Et non est aquâ lustrationis adspersus*. Exque eo, vt doctissimi viri tradunt,[g] sancta Ecclesia aquæ benedictæ, quâ à venialibus saltem admissis purificamur, pijssimum morem mutuata videtur, & in ostijs templorum vasa eam habentia collocari constituit. Quod & olim fieri solitum, ex Hippocrate [h] colligitur, & ex D. Isidoro [i] dum ait. *Delubrum veteres dicebant templa fontes habentia, quibus ante ingressum deluebantur; & appellata delubra à deluendo.* Ita marinis aquis, omnium scelerum purgatio, & purificatio fieri credebatur. Vnde apud Euripidem[l] Iphigenia Orestem maternâ cæde pollutum, aquâ marinâ lustrare, atque expiare vult, hanc addens sententiam,

Cuncta mortalium mala prorsus abluit mare.

Et Aristophanis, atque Homeri interpretes passim huius moris, vt Cælius [m] retulit meminerunt, tradentes, *mari solere expiari pollutos*. Et verò inter varias expiationum formas, quas Græci, & Romani vsurpabant, & nouissimè Antonius Clarus Syluius[n] & Durant. latè prosequuntur, nulla frequẽtior, aut Dijs gratior, quàm ea, quæ per mare fiebat, reperiebatur. Quam ob causam *mare expiatorium* appellat Eusthatius [o], illud in quod Græci, Agamẽnonis iussu, pestis purgamenta iecerunt. Vnde Lactantius [p], *Et se piè* (inquit) *sacrificasse opinantur, si cutem lauerint, tanquam libidines intra pectus inclusas vlli amnes abluant, aut vlla maria purificent*. Sed & solebat in piacularem quandam hostiam, omne malum, à muliere, quæ *Expiatrix sacerdos*, vt Festus scribit [q] dicebatur concipi, & vel tota, vel priùs igne cõbusta, eius cineres in mare proijci, vt nihil ex inuisâ hostiâ superesset,

M   & vnius

f *Numer. c. 19.*
g *Ioann. Stepha. Durant. li. 1. de ritibus Eccl. c. 21. Tiraq. sup.*
h *Hippocrat. in li. de morb. sacro.*
i *Isid. li. 15. etym. c. 4.*
l *Eurip. in Taur.*
m *Cæl. Rhod. li. 11. antiq. lect. ca. 22. Vide adagiũ mare proluit omnia mortaliũ mala.*
n *Ant. Sylu. in li. 12. tab. cap. 14. & meliꝰ Iacob. Durant. Casell. li. obs. ca. 1. & 2. li. 1. cap. 3.*
o *Eusthat. ad Homer. Iliad. A.*
p *Lactant. lib. 5. diuin. inst. c. 20.*
q *Festus de verb. sig. li. 14. in Piatrix.*

& vnius corporis vice omnium expiatio perageretur. Quod ex Lycophrone, & alijs elegãtissimè Ioãnes Zetzes[r] enarrat, cuius verba doctissimus Franciscus Sanctius Brocensis[s], vir Græcè, & Latinè impensè doctus, & ingenti huius academiæ Salmant. clade, nobis ereptus, iam pridem Latina reddidit, ex eis, quid hæc vox *Anathema* significet, explicare contendens. Quæ cùm ita se habeant, meritò Ciceronis locus ambiguus à Cælio[t] reputatur, & in quo non pauci sint frontem corrigaturi. Qui tamen licèt de expiationis ritu nonnulla retulerit, non tamen vsque quaque difficultatem explicuisse mihi videtur: cùm adhuc magis dubitare quis possit, cur cùm omnia crimina mare purgaret, parricidæ tamen contactu ipsum pollui scripserit Cicero? Quare existimo summum illum eloquentiæ parentem, luculentâ illâ hyperbole, detestandum parricidij crimen detestabilius reddere voluisse, quòd mare potiùs polluere, quàm marinis fluctibus elui posset: & supra omnem expiationem esse videretur, non sec9 ac Catullus[v] ad Gellium de profano quodam & incesto, simili loquendi genere vsus scribit.

Quid facit is, patruum qui non sinit esse maritum
Ecquid scis, quantum suspiciat sceleris?
Suscipit ô Gelli, quantum non vltima Tethys,
Nec genitor Nympharum abluit Oceanus.

Et Seneca Tragœdus, apud quem Hippolitus à nouercâ flagitatus ad incestum, sic exclamat.

Quis eluet me Tanais, aut quæ barbaris
Mæotis vndis pontico incumbens mari?
Non ipso toto magnus Oceano pater
Tantùm expiarit sceleris.

Aut certè citra hyperbolem ostendisse, tantam esse

huius

r Ioã. Zetzes hist. 23. chiliad. 5.
s Fran. Sãct. paradox. 1.
t Cælius d. c. 22.
v Catull. epig. 75.

huius facinoris diritatem, vt licèt cætera crimina mari expiari solerent, ipsum tamen re verâ nullam purgationem admitteret. Nam etsi legamus Herculem post interfectos à se filios sacris Eleusinæ Cereris expiatum, quibus Græci vt Sozomenus[x] refert nihil non lustrabile crediderunt: id tamē non omnino verum videtur, cùm ex Iulio Hygino[y] contrarium appareat; & vt in Hercule reciperetur; qui furore correptus immissâ in eum à Iunone insaniâ, nesciens illud facinus perpetrauit, qui tamen sciēs & volens parricidium commisisset, omni expiatione caruisse, vt Cicero innuit, dicendus est. Quod & ex Suetonio corroboro, qui ita habet in Nerone[z] *Sæpe confessus agitari se maternâ specie verberibus furiarum, ac tedis ardentibus; quin & facto per Magos sacro euocare manes, & exorare tentauit, Peregrinatione quidem Græciæ, Eleusinijs sacris, quorum initiatione impij & scelerati voce præconis submouerentur, interesse non ausus est.* Quæ cùm dicat Suetonius, planè significatur, nullas fuisse penes Gentiles expiationes, quibus haud dubiè, vt ea quæ patiebatur à se auerteret Nero, non caruisset. Sed & hoc magis apertum redditur, ex eo, quod de Constantino Imperatore alio loco[a] trademus, qui cùm ad commissi parricidij scelus expurgandum remedium quæreret, tandem à Sopatro Platonico Philosopho, & alijs accepit, nullam reliquam esse tanti facinoris expiationem, atque ita paulò post, veræ religionis initijs, & lustrali Baptismate, vt Zozimus[b] commemorat, expiatus est. Et vt magis nostra nobis constet oratio, hæc opinio satis supradictis testimonijs probata, censeri debet vtique probabilior, quòd placuerit etiam Illustriss. & Reuerendiss. Cardinali

x *Sozomenus lib. hist. eccles. c. 5.*

y *Iul. Hygin. fab. c. 31. & 32.*

z *Suet. in Neron. c. 34.*

a *Infra lib. 2. c. 11*

b *Zozim. sthi. li. 2*

c *Baron. tom. 3. annal. ann. Christi 324.*
d *Pausan. in Corinthiacis li. 2.*
e *Lib. 2. c. 18.*

Baronio [c]; viro & eruditionis & pietatis ergò admirando, cuius hæc sola laus esse potest, quod omni laudatione maior esse videatur. Neque aduersatur quod Trozenij [d], vt Pausanias refert, Orestem à cæde matris expiauerunt, & piacula non longè à lapide in quo purgatio facta est, defoderunt, quo in loco laurum quamdam enatam tradit, quæ adhuc virens conspicitur; Constat namque, hanc expiationem nihili fuisse, cùm Orestes non ideò minùs post illam furijs, & spectris fuerit agitatus, quò vsq; in Aræopago Deorum sententijs, vt inferiùs cõmodius dicetur [e], fuit absolutus. Accedit his, Ixionem (vt fabulæ narrant) ob socerum fraude peremtum, nũquam à Dijs vel ab hominibus lustrationem impetrare potuisse, quòvsque cùm diu incertus vagaretur, Iupiter illius misertus, in cœlum asumtum, expiauit.

CAPVT XXII.

Sepulturam parricidæ negari multis & iuris & bonarum litterarum argumentis, & exemplis ostenditur. Sepulturam humanitatis ratione hominibus debitam, sæpe ob criminũ atrocitatẽ prohibitam. Hanc pœnam grauißimam iudicari. Plura de sepulturæ honore & curâ. Hanc etiam in animalibus reperiri. Pius Melchiadis in patrem affectus. Qui olim more maiorum sepulturâ interdicti? Parricidas cùm parentes occidant, iure terrâ omnium matre priuari.

AQVA igitur & cœlo priuabatur parricida. Cœlum cùm dicimus, aërem intelligimus, quẽ cœli nomine sæpe signari apertius est, quàm vt nostrâ indigeat adprobatione: præsertim cùm id latè

latè Brissonius[a] & alij præstiterint, & notauerit Seruius[b] in illud Virgilij

Et varium cœli prædicere morem.

& ex adductis Ciceronis[c], & Iustiniani testimonijs, in quibus aëris, cœli, & spiritus promiscua est appellatio, manifestè probetur. Sed neque minùs terrâ interdicti videntur: quam neque viui tangere, nec mortui ad sepulturam habere possunt. *Terra enim* (vt Appolloniꝰ[d] ait) *communis omnium mater est, propterea quod iusta*, vnde meritò impijs, & iniustis hominibus denegatur[e], & vt ait Cicero *ita moriuntur, vt eorum ossa terrã non tangãt.* Quã obrem verissimũ censeo commune omnium Doctorum[f] iudicium, qui parricidarum cadauera sepulturæ tradenda non esse docuerunt; neque minùs veram Ioannis Baptistæ Asinij[g], & Iacobi Menochij sententiam, qui parricidæ sepulturam, absque pœnâ legibus præfinitâ[h] impediri, & violari posse, testantur. Nam vt rectè Quintilianus[i], *Tumulo tectus videretur cui leges terram negant?* Cuique ipsa omnium parens terra, vt parentum occisori reluctari censetur? Quod & Græcô quodam in matris occisorem epigrãmate quod latinum fecit Couarrubias[l] his verbis ostenditur.

Ne sepelias hoc cadauer, sit enim cibus & rapina canibus,
Nam omnium mater terra, non recipit matricidam.

Et exemplo non caret. Nam vt refert Agathias[m], cùm Damascius, Syrius, Simplicius, & alij docti viri conuenissent, vt in Persiam ad videndum Cosroëm Regem vnà abirent, in reditu inhumatum cadauer in agro inuenerunt, quod cùm inhumanitatem Persarum detestati, sepulturæ mandassent. Noctù vnus ex eo comitatu, obuersati sibi senis & venerandi hominis speciem vidit, dicentis. Noli inhu-

a *Briss. Pratei & Hotom. & Scardus d verb. iur. in cœlum.*
b *Seru. in Virg. 1. Georg.*
c *Cicer. in d. orat. pro Rosc. Iust. in d. §. alia deinde.*
d *Appollon. apud Philo. li. 1. c. 12.*
e *Constant. in d. l. vnic. & Iustin. sup. ibi terra mortuo auferatur.*
f *Baldus & Salicet. d. l. vni. Couarrub. d. Clem. nu. 12. Greg. in d. l. 12. verb. en la mar. Carrer. in praxi. §. homic. num. 147. Ant. Gom. 3. tom. c. 3. nu. 3. Plaz. d. ca. 22. nu. 9. Iacob. Durant. Casselliꝰ li. 2. obseru. c. 3.*
g *Asin. in l. quod si nulla, nu. 10. de relig. Menoch. de arbitr. cas. 387. num. 30.*
h *L. fin. C. de sepul. vio.*
i *Quint. decl. 299*
l *Couarr. vbi sup.*
m *Agath. li. 2.*

inhumatum corpus humare, permitte canibus lacerandum: terra vniuersorum mater, matris corruptorem hominem non recipit. Ille expergefactus alijs somnium exposuit, & mane regressi in illum agrum, corpus nudum viderunt in campi superficie iacere. Accedit his, quòd licèt sepultura humanitatis ratione, naturali & diuino iure etiam hostibus debeatur, vt ex Sophocle, Aristot. & Dione Chrysostomo eruditè admodùm Petrus Faber [n] scripsit; vnde Vibulenus quidam Gregarius miles ad Blæsum, qui fratrem eius iugulauerat, ita apud Tacitum [o] inquit. *Responde Blæse, vbi cadauer abieceris? ne hostes quidem sepulturam inuident.* At vbi propter alicuius maleficij acerbitatem augeri pœnam oportet, & reliquis terrorem iniicere, punitorum cadauera, iustè, vt Couarruuias [p], & alij notant, inhumata relinqui possunt. Quinimò ex Romanorum more id fuit, vt hostes publicos, aut qui hostium loco essent, vt putà proscriptos, perduelles, suspendiosos, aliosq; facinorosos homines, quorum pœna ad exemplum aliorum pertinebat, alijs supplicijs affectos, honore sepulturæ, luctuq; adfinium prohiberent. ideoq; in Gemonijs gradibus abiectos vnco in Tyberim traherent, vt Iustus Lipsius [q] in illud Taciti notat, *Quia damnati publicatis bonis sepulturâ prohibebantur*, & ex Suetonio [r] colligitur. *Interdictum* (inquit) *ne capite damnatos propinqui lugerent. Nemo punitorum non in Gemonias abiectus, vncoque tractus.* Et ex Vlpiani, & Marcelli responsis [s], quibus non solere lugeri traditur, *Hostes, vel perduellionis damnatos, nec suspendiosos, nec qui contra parentes venerint, vel manus sibi intulerint, non tædio vitæ sed malâ conscientiâ.* Vnde, *aliquis* (inquit vetus Orator [t]) *metu iudicij mori vult,*

n Pet. *Fab. lib.* 2. *semest. c.* 1. *& li.* 3. *c.* 13.

o *Tacit. li.* 1. *ann.*

p *Couarr. lib.* 2. *vari. c.* 1. *nu.* 11. *Menoch. vbi su. num.* 32. *Guiller. Bene. in c. Rain. verbo, mortuo, el* 1.

q *Iust. Lip. in Tacit.* 6. *annal. & vide etiā Iacob. Durāt. lib.* 1. *var. cap.* 3.

r *Sueto. in Tiber. c.* 61.

s *Vlp. in l. liberorū.* 10. *§. nō solēt. de his qui not. inf. Marcel. in l. minimè.* 35. *de religio. vide Dur. Casell. d. li.* 2. *c.* 3.

t *Quint. decl.* 337

vult. dignus est qui insepultus abiiciatur. Aliquis conscientiâ turpis alicuius flagitij admissi priùs quàm prodatur, mori vult: dignus est qui insepultus abiiciatur, Et Posthum. Iunior declam. 5. *Equidem iudices, vt sentio, neminem mortalium fauere hominis sepulturæ non conuenit, quia vna res est, cùm exemplum ad omnes pertineat: ideòque non nisi ab vltimo parricidio exigitur pœna trans hominem.* Quò etiam respiciens Egesippus [v] rationem huius rei reddit, quæ maximè superioribus conuenit, *quia dignum est* (ait) *vt qui patris imperium non expectauerunt, priuentur quasi matris gremio terræ sepulchro.* Neque putauerit quispiam, hoc quod vltimo loco in parricidæ pœnam inductum tradidimus, vt sepulturæ honore priuetur, parum seueritatis habere: nam etsi Diogenes Cynicus sepulturæ curam Theonino dente momorderit, vt Laërtius [x] & AElianus scribunt, & sint nonulli, quos nec suppliciorum tormenta moueant, nec mortis ignominiosæ infamia, vel funeris priuatio tangat; tamen, vt ait Tertullianus [y], *Omnibus ferè ingenita est famæ post mortem cupido*, Et rectè Plinius [z], inter reliqua quæ naturâ ipsâ, hominibus insita tradit, sepulturæ curam connumerat. Et Pomponius [a] Iuriscon sultus, *Iniuria virum videri affici* (ait) *si eius vxor maneat insepulta*. Et iure optimo, laudatur à Modestino [b] heres, qui testatoris, quantumuis id testamento iubentis, reliquias in mare non proiecit, sed in memoriam humanæ conditionis sepeliuit. Vnde Athenienses de sepulturâ, vt Diodorus [c] refert, priùs quàm pugnam capesserent cogitabant. Apud quos etiam summis, vt Valerius Maximus [d] docet, laudibus Cymon celebratus fuit, qui, vt pater

v *Egesip. li. 3. ca.* 17.

x *Laert. in vitâ Diog. & Ælian. var. hist. li. 7. ca.* 14.

y *Tertull. lib. de testim. animæ.*

z *Plin. in prœm, li. 7.*

a *Pomp. in l. quod si nulla 28. D. de religios.*

b *Modestin. in l quidã in suo, D. de cond. instit.*

c *Diod. Sic. li. 11.*

d *Valer. Max. li. 5. ca. 3. & Æmil. Prob9 in vit. eiusdem Cymonis vbi alia refert de eximiâ eius pietate.*

ter Melchiades in carcere mortuus, sepeliretur, voluntarijs se vinculis mancipauit. Neque aliorsum Asychis Aegypti rex legem promulgauit, ne aliter pecuniam sumere mutuam liceret, quàm si debitores patrum cadauera pignori obligarent. Eâdem lege cauens, vt si debitor æri alieno non satisfaceret, fas non esset eum sepeliri, neq; in paterno, neq; in vllo alio sepulchro, vt ex Herodoto & Diodoro [e], Annæus Robertus recenset, & Petrus Gregorius plura alia in eamdem rem diligentissimè congerens, & non immeritò formicarum pietatem cōmendans, quæ velut istius iuris participes se se, vt Plinius [f] refert, inter se sepeliunt mortuas. quæ vel solæ ad suadendā humationis curam sufficere queūt. Quam naturali affectu, & humanitatis instinctu, nō solùm erga nosmet ipsos optare, sed & ignotis etiā hominibus cognatione, quam inter nos natura instituit, vt Florentinus [g] ait, ad id impellente, terrā sepeliendi causâ iniicere, eleganter Quintilianus [h] sic inquiens admonuit. *Hinc & ille venit affectus, quo ignotis cadaueribus humum congerimus: & insepultum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit, vt non quantulocumq; veneretur aggestu*. Et alibi [i]. *Cadauer* (inquit) *ab incursu auium, ferarumq; tantùm miserantium corona custodit. Conuenerunt etiam alieni plorantes, totus in spectaculum populus effusus est: & ignoto quoque corpori publica humanitas quasi quasdam fecit exequias*. Quò etiam spectat illud Petronij [l], vbi idem humanitatis vocabulum de sepulturâ loquens vsurpauit. *Vel si voluerit misericors ad idem litus expellere, aut praeteriens aliquis tralatitiâ humanitate lapidabit, aut, quod vltimum est, iratis etiam fluctibus misericors arena componet.* Et elegantissima verba Cassiodori, libr. 2. epist. 22.

Insa-

e *Herod. & Diod. lib. 2. Ann. Rob. lib. 2. rerū iudic. c. 6. Pet. Greg. in prælud. iur. ciuil. lib. 2. cap. 44. & Mantua in Enchirid. c. 226.*

f *Plin. lib. 11. ca. 30. & Plutar. in lib. vtra. anim. plus rat. hab. & Ælian. idē tradit de Delphinib. lib. 12. de anim. c. 6.*

g *Florent. in l. vt vim. ꝗ iust. & iu.*

h *Quint. decla. 5.*

i *Idem declam. 6.*

l *Petron. Arbiter in satyr.*

Insatiabilis quippè fletus est, qui humanis non sinitur corporibus interesse, dum semper se reum indicat, qui cineribus iusta non præstat. & pulo post *dicendum est, quod hoc ipso admoneor exemplo in honorem pietatis etiam damnati sepeliuntur.* Quibus omnibus priuati parricidæ, ita culleo insuti iactantur, vt neque inueniant littus eiecti, neque ad saxa quidem mortui conquiescant, & vt Cicero [m] alibi dixit, *Non solum vitâ cruciati atq; dedecore, verùm etiam sepulturâ, & iustis exequiarum careant*, atque adeò perpetuâ quodammodo requie priuētur, quam nunquam consequi insepultos, Romani putabant [n].

m *Cicer. 2. de ll.*

n *Vide Virgil. 6. Ænei. Tertul. de anim. & Iacobus Durant. Casel. 2. var. cap. 2. in fin. & c. 3. vbi plura eleganter tradit, de his quib⁹ sepultura phibebatur.*

CAPVT XXIII.

Cullei & serpentium pœna an hodierno die parricidis irrogetur? Quid apud alios, quid apud nos in hoc supplicio vel legibus vel moribus immutatum sit? Pontificio iure clericos parricidas perpetuo carceri traditos, *laicos alijs pœnis affectos. De carceris perpetui pœnâ, nonnulla.*

SED quoniam tempus, vt in alijs, ita & in legibus, & in eis præcipuè quæ ad maleficiorum punitionem spectāt, plurimum potest. Videndum est nūc, an & quatenus hodierna praxis hanc cullei pœnam, (quam laboriosâ adeò, & ni fallor non ineptâ cōmentatione exposuimus) vsu recipiat: Nam oportet, vt de Aristone dicebat Plinius [a], *Sic antiqua iura vt recentia, sic rara vt assidua tractare*, Quoniam vt Iustinianus Imperator [b] ait: *Omnia apertiùs à quotidiano iudiciorum vsu ipsis rerum documentis apparent.* Et in supplicijs irrogandis cùm omnia ferè sibi iudices tribuant, & nō tam ex legum præscripto, quàm

a *Plin li. 8. epist. iuxta expositionē quā cōtra Cuiac. tradit Robert. li. 3. animad. c. 22.*

b *Iust. in prin. Inst. de satisd.*

ex proprijs animi motibus, & arbitrijs procedant[c], me Herclè, vt Quintilian[9].[d] inquit, *Quantumlibet secreta studia cōtulerint, est tamē alia fori lux, alia veri facies; plusq; si separes, vsus sine doctrinâ, quàm citra vsum doctrina valebit*. Et quidē antiquam hanc parricidij pœnā ab aulâ recessisse, Salic.[e] & Baldus seriò affirmarūt, quorum ille, decapitatos sepulturâ priuari; hic, canibus comedendos abjici eos docet, qui parricidij scelus admiserint. Nec dissentiunt Anania[f] & Ludouicus Carrerius, qui cullei pœnam nusquam se vidisse fatentur. Et Petrus Gregorius[g] & Ioannes Oinotomus, Tholosæ quidem, & alibi in Galliâ, & Germaniâ huius criminis reos, vel securi percuti, vel furcâ suspendi asserunt, nec se arbitrari cullei supplicium hodie vsquam terrarum praxi seruari. Thomas quoque Grammaticus[h], idem Neapolitano in regno vsu recipi tradit: & Iulius Clarus[i] relatis plurib[9], qui antiquam pœnam abolitam esse docuerunt, scribit, apud Mediolanēses, parricidas ordinariam homicidij pœnam iuxta delinquētis qualitatem subire, & alios in furcam agi, alios iugulo feriri, & trahi ad equi caudam alligatos solere, nūquam tamē Ecclesiasticâ sepulturâ priuari. Alij[l] alia tradunt. Sed nimirum suus cuique nedum nationi, verùm & homini mos est, nec voto, vt dixit ille,[m] viuitur vno. Nos nostræ Hispaniæ praxim subdem[9], ne cuiquam fortè supradicti auctores imponant, qui apud nos parricidas canibus laniandos dari scripserunt, laudato in eam rem Petro Plaza[n] Hispano iuris doctore, qui tamen si attentè legatur nihil tale commētus reperietur. Apud nos igitur septempartitis legibus (quas (vt Cicero[o] eas quæ in duodecim tabulas à Decemviris relatæ sunt) fontes legum, biblio-

c *Pœnas omnes hodie arbitrarias esse, tradit Alciatus in l. potestatis de verb. sig. Menoch. de arbitr. q. 14. & alibi passim. Vincēt. Caboti[9] li. 2. var. c. 6.*

d *Quint. li. 12. c. 6. quē, & alia in hanc rē refert* Pi*nel. in 2. p. l. 2. ꝺ rescind. c. 4. n. 2.*

e *Salicet. & Bald[9] in d. l. vni. C. de his qui parent.*

f *Anan. in c. 1. ꝺ his qui liber. Carrer. in prax. §. homicid. vers. 9. n. 36.*

g *Pet. Greg. d. li. 36. Syntag. cap. 24. nu. fin. Oinot. d. §. alia nu. 8.*

h *Gramat. ad Cōstit. Neap. fol. 121 col. 1. nu. 10.*

i *Iul. Clar. li. 5. recept. §. parr. n. 5.*

l *Tib. Dec. in criminal. li. 9. c. 16. ex nu. 18.*

m *Persi[9] saty. 5.*

n *Pet. Pl. in epit. del. c. 22. n. 8.*

o *Cic. li. 1. ꝺ orat.*

bliothecas omnium Philoſophorum, & Themidos ipſius vera reſponſa, fremant omnes licèt, poſſumus appellare) Conſtantiniana ſanctio[p] ad verbum trãſcripta[q], quotidianâ (heu dolor!) praxi obſeruatur, vt & experientiâ didicimus, & Gregorius Lopez[r], Antonius Gomezius, Petrus Plaza, & D. Ioannes Vela (vir apprimè doctus, & immaturo fato nobis ereptus) ſcriptum reliquere. Quod & Iuli⁹ Clarus[s] ſe dum in Hiſpaniâ eſſet, vidiſſe fatetur, eâ tamẽ adhibitâ differentiâ (quam dicti quoque auctores obſeruant) quòd parricidæ, priùs quàm culleo inſuantur ceruices laqueo franguntur. Raró enim in Hiſpaniâ mortis ſupplicia, quæ longis cruciatibus, & moroſis doloribus vitam adimunt, imponuntur: ne reis, quibus eo in caſu mors (vt alias Impp.[t] dixerunt) *Solatium eſſet & vita ſupplicium*, impium aliquid in Deum effundendi, aut etiam deſperandi occaſio præbeatur. Nam vt ait Senec. lib. 2. de benef. *Acerbiſſima crudelitas eſt, quæ trahit pœnam: Et miſericordiæ genus eſt citò occidere, quia tormentum vltimum finem ſui ſecum affert, quod antecedit tempus maxima venturi ſupplicij pars eſt.* Quod intelligẽs Tiberius, vt Suet. inquit cap. 61. *Mori volentibus vim adhibebat viuendi, nam mortem leue ſupplicium putabat, & precanti cuidam pœnæ maturitatem reſpondit: nondum tecum in gratiam redii.* Vnde ſuffocati priùs, ignibus dari, ſagittis impeti, in fruſta ſecari, culleo inſui, aut ſimiles alias pœnas quæ in aliorum terrorem conſtituuntur, perpeti ſolent, vt & notant Doctores[v], & noſtrarum legum verbis exprimitur. Verùm licèt hoc nullus ex ſupradictis aduertat, arbitror in eo etiam iuris communis pœnam vſu hodierno immutatam, quòd parricidæ non culleo, ſed dolio frequentius clauduntur: Et quid-

p *in d. l. vni. C. de his qui parent.*

q *in d. l. 12. tit. 8. partit. 7.*

r *Greg. in d. l. par. Ant. Gom. 3. to. c. 3. n. 3. Plaça d. c. 22. Vela de pœnis delict. c. 27.*

s *Iul. Clar. ſup.*

t *Impp. in l. quiſquis. C. ad legem Iul. maieſt.*

v *Gre. Lopez ſup. verb. en la mar. lex 1. tit. 21. lib. 8. recop. l. 46. tit. 23. li. 8. recop. vide aliqua apud Petrum Fabr. li. 3. ſemeſt. ca. 8. in princip.*

quid nostra lex priùs eos verberari debere, illis verbis exprimat, *Que este atal que fizo esta enemiga, que sea açotado publicamente ante todos.* adhuc tamen verberibus neutiquam afficiuntur. Sed neq; sepulturâ priuantur, nam licèt vt legis forma seruetur, deturbari in flumina, inibiq;, vsque ad primam noctis vigiliã relinqui soleant: posteà tamen, vel à cognatis, vel à Libitinarijs, quibus sepelire punitorũ cadauera curæ est, Ecclesiasticâ sepulturâ donantur. Quod licèt contra leges vt diximus sit, iudices tamen conniuẽtibus oculis pati, & vsu etiã in impios receptam pietatem impedire non debent. Nam vt optimè quodã loco Ambrosius [x] scribit: *Nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spacia laxata sunt, nemo potest dolere; quia in sepulturis Christianorũ requies defunctorũ est.*

Iure autem Canonico clericus huius criminis re deponi debet, & depositus in perpetuum carcerem trudi, secularis curiæ traditione cessante, vt contra plures, Marian. Socin. Bernard. Diez [y], & alij resoluũt. Nam & si ciuiles leges carceris pœnam nequaquam admiserint [z], quia Vlpian. teste, *Carcer non ad puniendos, sed ad continendos homines haberi debet* [a]. Pontifices tamen, dum pudori, & verecundiæ clericorũ prospiciunt, & eorum delicta puniri potiùs volunt, quàm publicari, hoc supplicij genus, vt laté Bartol. Menoch. Simanc. & Gomezi animaduertunt [b], frequenter vsurpant. Quod non est cur alicui leue videatur. Quid est enim grauiùs, quàm esse inter homines, & hominum carere consortio? Et ita viuere, vt liberi spiritus fruendi facultas non sit? & in malã mansione (ita enim carcer, vt Forneri [c] ostendit, interdum dicitur) vitæ exitum expectare. Laici quoque secundùm Põtificias sanctiones, parricidij crimẽ in

x D. Ambr. li. 1. offic. c. 28.

y Marian. Socin. in c. 1. de his qui lib. Bern. Diez in prax. c. 96. Plaça d. c. 22. n. 43. Vela d. c. 27. nu. 10, Tiber. Decian. li. 9. crim. c. 6. n. 19 qui etiam degradandos ait.

z L. incredibile. C de pœnis. l. mandatis. D. eod. l. 2. C. de exact. lib. 12.

a Vlp. in l. 8. §. solent. D. de pœnis. vide quæ tradit de interdictis pœnis Cuia. li. 34. obs. c. 14. & de hac carceris, histor. fori Rom. lib. 5. c. 14.

b Bart. in l. imperium. nu. 8. de iurisd. omniũ iudi. Menoch. de arbi. quæst. 89. & cas. 3[illegible]. Simanc. in cathol. inst. tit. 17 Gom. 3. tom. c. 9. num. 6.

c Forne. lib. 2. selec. c. 1. vide l. hi qui. 4. C. de apostat.

in foro pœnitentiali, carceris tædio, & alijs modis luere solent, qui latè in ipsis constitutionibus recẽsentur; [d] sanguinis enim pœna pro nullo crimine Iure Canonico infligitur, vt iam pridem Ludouic⁹ Romanus [e] admonuit. Neque carceris pœna mitior illâ videtur, nam vt eleganter, Magnus Aureli⁹ Cassiodorus [f] scribit. *Carcer est cella gemituum, tristitiæ domus, apud superos Plutonis hospitium, locus perpetuâ nocte cæcatus; in quo non vnum tormentum sustinet reus, qui antequàm incurrat necis exitus, à Superis probatur abscissus. Primùm pudor ille collega catenarum, abominabili mœrore discruciat: auditum alieni gemitus & lamenta conturbant: gustum ieiunia longa debilitant: tactum pondera prementia defatigant: lumina diutius tenebris obtusa torpescunt. Non est vnum clausis exitium, multifariâ morte perimitur, qui carceris squallore torquetur.* Vnde non iniustè Imperatores Theodosi⁹, & Honorius Augusti [g] in exsilium damnatos, si carceris custodiâ exsilij metas implesse deprehensi fuerint, non esse ampliùs in exsilium ire cogendos scribunt. *Sit enim satis* (inquiũt) *immensorum cruciatuum semel luisse supplicia, nec qui diu priuati sunt auræ communis haustu, & lucis aspectu, non intra breue spacium catenarum ponderibus prægrauati, etiã exsilij pœnam sustinere iterum compellantur.* Et Modestinus Iurisconsultus [h], hoc idem ob oculos habẽs, aliquatenus eius pœnam subleuandam admonet, qui diutino tempore in reatu fuerit, idest in carcere, & misero tristiq; ac lugubri reorum statu, vt Duaren. Alciatus, Ferrandus, Ioannes Corrasius, Rainaldus, Corsus, & alij [i] interpretantur, non vt Accursius & alij ex antiquioribus [l] minùs rectè putarunt, qui aliquibus retro tẽporibus delictũ cõmisisse reperti fuerint. Quis enim eorum non misereatur, quibus

d *Vide tx. in c. 1, & 2. de his qui lib. occid. in c. latorẽ. 33. q. 2.*

e *Ludou. Roman. singul. 688.*

f *Caßiod. libr. 11. variar. in sermu. indulg.*

g *Impp. in l. omnes. 23. C. de pœn.*

h *L. si diutino. 25 D. de pœnis.*

i *Duare. 1. disp. c. 19. Ferand. 1. explic. c. 49. Alciat. 2. parerg. cap. 10. Corras. li. 2. misc. c. 20. Rainal. Corsus li. 1. indag. c. 19. Eduar. Caldeira li. 3. var. c. 2.*

l *Accurs. in ead. l. si diutino: vbi omnes. Deci⁹ cõs. 535. M. Mant. in Glossar. 1. p. c. 33.*

ex vinculis causam dicentibus incertus iudicij euentus assiduum tremorem, & legitimum sæpe metum incussit? *Video* (inquit Calpurnius Flaccus)[m] *carcerem publicum, saxis ingentibus structum, angustis foraminibus tenuem lucis vmbram recipientem. In hunc coniecti robur Tullianum prospiciunt, & quoties iacentes ferrati postis stridor excitat exanimantur, & alienum supplicium aspectãdo, suum discunt.* Sed vt filũ sermonis nostri repetamus, Pontificũ quoq; iure[n] tã filijs qui parẽtibus, quàm parentibus qui filijs necẽ intulerint, salutares aliæ pœnitentiæ imponuntur, quæ ex ipsis decretis facile colligi possunt.

m *Calpur. Flacc⁹ declam. 4.*

n *Cap. 1. & sequẽ. de his qui li. occid. c. latorẽ, 33. q. 2. vide Bernar. Diez in prax. ca. 99.*

(?)

FINIS.

IOANNIS SOLORZANI PEREIRÆ IVRIS CÆSAREI IN SALMANTICENSI ACADEMIA PVBLICI PROFESSORIS.

DE PERSONIS, QVAE PARricidij tenentur, & cullei supplicio plectuntur.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM. Dicendorum ordo proponitur. Humaniores litteras ad iuris studium vehementer conducere demonstratur. Parricidij eos primo loco teneri, qui parentum fata properauerint. Properare fata quid sit? Iustinian' expositus, & ex melioribus codicibus emendatus. Liberorum, vt & parentum appellationẽ latè patere. Modestinus, & Paulus, qui contrarium suadere videntur, verâ interpretatione donati. Hominum vitam breuissimam esse.

EXPOSVI superiori libro, quâ potui maximâ diligentiâ, quæ in parricidarum supplicio, vt in Sileno quodam Alcibiadis, latebant mysteria; & rem ab omnibus ferè neglectam, & à paucis, aut à nemine (quod præfiscinè dixerim) intellectã, ex ignorantiæ tenebris & (vt ita loquar) mancipio, & captiuitate,

uitate, in lucem aſſerui, & quodam veluti poſtliminio in priſtinum honorem, & dignitatem reſtitui. Nunc autem cùm nouus nos, erga perſonas, quibus hoc ſupplicium irrogandum eſt, labor maneat: Et tot huius (vt ita dixerim) Hydræ capitibus amputatis, alia ſubinde naſcantur, & pullulent; ingenuè (vt Titi Liuij [a] verba detorqueam) illud mihi accidiſſe fateor, *quod iis qui proximis littori vadis inducti mari pedibus ingrediũtur; quicquid enim progredior, in vaſtiorem me altitudinem inuehi video, & creſcere penè opus, quod prima quæque perficiendo minui videbatur.* Sed pergam nihilominus, nec terga vortam, & annuente Deo, quod reſtat iter, inuium licèt, & nullius anteà tritum pede, conficiam: multis, vt hucuſque fecimus, & Iuriſconſultorum, & bonorum auctorum locis, ſicubi tractationis ordo popoſcerit, in medium adductis. Sycophantis enim iſtis laqueũ mandamus, qui vbi non omnia Bartolos, Baldos, & ſimiles perſonant, aut vbi aliquem bonis litteris tinctum conſpiciunt, illico rident, & reſpuunt, & ad Grammaticorum pulpita relegandum diiudicant; quaſi non liceat, manſuetiores muſas ſeuerioribus copulare, & ex illarum viridarijs, & hortulis floſculos aliquãdo decerpere, quibus poſſimus noſtri iuris reſponſa condecorare. Sed verò altas habet hoc malum radices, & quas euellere mearum virium nõ ſit, cùm id nec robuſtiſsimi quidem Milones [b], licèt in eo oppidò deſudauerint, præſtare potuerint. Nã vt rectè Sidonius Appollinaris [c] *Idiotarum eſt, ſicut facilè conuinci, ita difficilè compeſci*: Et vt non minùs rectè Terentius [d].

> *Homine imperito nihil quidquam iniuſtius,*
> *Qui niſi quod ipſe facit, nihil rectum putat.*

ergo

a *Tit. Liu. initio decad. 4.*

b *Eraſm. apoph. 42. li. 8. Alex. ab Alex. 3. genial. c. 14. Duar. in orat. de diſc. docendoq; iure, Pet. Fab. 2. ſem. ca. 2.*

c Sidon *Apol. li. 7. epiſt. 13.*

d *Ter. in Adelph.*

Ergo, vt his relictis (ne videar Andabatarum more aërem ferire, aut cum laruis luctari) operi manum admoueam parricidij pœna, vt & leges & ipsum delicti nomen ostendunt, liberis primo loco infligenda est, qui impiâ manu parentum fata properauerint. ita enim apud Constant.[e] & Iustin. legendum est, vt docti viri[f] iam obseruarunt, non vt vulgati habent codices *præparauerint*. Nã vt tam doctè, quàm piè aduertit Balduinus[g], etsi, quod attinet ad superiorem illam Dei Opt. Max. prouidentiam, certos esse vitæ nostræ terminos & fines sciamus, quos vltra citraq; mors vel vita consistere nequeat, habita tamen inferiorum causarum ratione, non ineleganter fata alicuius properare dicuntur; quin potius eo loquendi genere sæpè grauissimos auctores vsos inuenio. Sic enim Vopiscus[h], *fatalem* (inquit) *properauit neceßitatem*, Et Seneca[i] tragædiographus, *Quid iuuat durum properare fatum?* Et Petronius[l], *Vltimum hoc gaudium fatis properantibus rape*, pro eo quod est, vt Ouidij[m] verbis rem explicem, *ante diem in paternos annos inquirere*: Sicut contra dixit Maro[n], *Depositi proferre fata parentis*. Liberos autẽ & parentes cùm dicimus, sursum ac deorsum ascẽdẽtes & descẽdẽtes omnes, siue paternæ, siue maternæ lineæ, cõprehendim⁹. Latè quippè hæc nomina tũ alibi in iure[o], tum etiã in hâc nostrâ tractatione accipiuntur; atq; adeò quicumq; liberi, quocumq; gradu positi aliquem ex ascendentibus interfecerint, hoc cullei supplicio tanquàm parricidij rei, vt cum Accurs.[p] cæteri interpretes adnotarunt, afficientur. Nam etsi Caligula cùm nullum rapinis modum faceret, descendentium & liberorũ nomen vltra filios non porrigi, nequiter, vt Alexander[q] retulit, cauillatus fuerit.

e *Constant. d. l. vnic. Iustin. d. §. alia deinde.*
f *Cuiac. in notis posterior. ad d. §. alia.*
g *Balduin. d. §. alia.*
h *Vopisc. in Probo.*
i *Senec. in Hercul. furente.*
l *Petron. in satyrico.*
m *Ouid. 1. metamorph.*
n *Virg. Maro.*
o *L. appellatione parẽtis, l. liberorũ de verb. sig. l. sed si §. liberos de in ius vocan. cũ alijs.*
p *Accur. in l. 1. & in l. pœna. D. ad l. Põp. de parric. & in l. vn. C. eod. vbi Azo & cæteri, & plures alij quos refert Vela de delict. c. 27. nu. 3. & Tib. Decian. 2. to. crimi. li. 9. c. 5. nu. 2.*
q *Alex. ab Alex. 1. genial. c. 15.*

Veriùs tamẽ est, in infinitum extendi, & iuxta Pauli responsum [r], quod sic docti viri [s], quicquid Andreas Patricius [t] reclamitet, accipere solent, vsque ad trinepotem, proprio vniuscuiusque gradus vocabulo, deinceps communi posteriorum vel liberorũ nomine, omnes in infinitum comprehendi. Neque obest, quòd Modestinus [v] hanc ipsam de quâ loquimur cullei pœnam, in eos dumtaxat more maiorũ inductam testetur, qui patrem, aut matrem, auum, aut auiam occiderint, qui verò alias personas necauerint capitis pœnâ plectendos, aut vltimo supplicio mactandos. Nam verè respondet Accur. [x] *ibi* reliquorum ascendentium mentionem supplendam. Et vt ego aduerto, cùm leges semper, frequẽtiora respiciant [y], & rarò contingat, vt quis pronepotes eius ætatis habeat, vt in illum manus inijcere possint; meritò Modestinus, aliorum ascendentium mentionem non fecit, parẽtes & auos exempli gratiâ, quod regulam arctare non solet [z], nominasse contentus. Est enim breuissimum viuendi tempus hominibus datum, & quamuis nonnulli quos auctores memorant [a] longissimæ ætatis spatia compleuerint, tamen & experientiâ, & iuris testimonijs docemur viuaciores homines vix aut ne vix quidem centum annos implere [b], & rarò eis viuis pronepotes agnasci. atq; ita vltra hanc ætatem, quoties agitur de morte alicuius probandâ, neminem viuere præsumendum, latè Menochius [c], Mascardus, & alij quos ipsi referunt, tradidere.

CAP.

r *Paul. in l. I. C. D. de gradibus.*

s *Pet. Crin. d hon. dis. li. 15. c. 8. Conan. li. 10. cõm. c. 1. num. 4. Bern. Vualth. li. 1. misc. c. 10. & alij quos refert Caldas in l. si curat. verb. sine cur. nu. 48.*

t *And. Patric. in fragm. ad orat. Cicer.*

v *Modest. in d. l. pœn. D. de parr. vers. qui alias.*

x *Accur. in d. l. pœn. verb. auiã, & in d. l. vn. ver. affectionis.*

y *L. nã ad eã, D. de legib.*

z *L. dãni infecti 33. D. de damn. infect.*

a *Plin. 7. ca. 48. Cæ. Rho. li. 5. ant. lect. c. 26. Pet. Faber 1. semest. c. 8. Corras. 5. misc. c. 18. & cent. 1. sententiar. memorab. c. 72. Casaubon. in not. ad Trebel. Pollion. pag. 487.* b *Leg. an vsufr. 63. de vsufr. l. si vsufr. 8. de vsufr. leg. l. fin. C. de sacr. sanct. eccl. l. 26. tit. 31. part. 3.* c *Menoch. li. 6. præsum. 49. Mascardus de prob. concl. 1069. Mant. in Gloss. class. 1. ca. 19.*

CAPVT SECVNDVM.

Liberos qui parentes occiderint nullis non pœnis meritò subdi, multis magnisq; rationibus suadetur. De pietate, quæ parentibus post Deum præstari debet. Parentes Deos appellatos, & diuina quædam esse simulachra. Inde filios in sacris parentum esse, dici solere, cum Connano. Naturam inter homines quandam cognationem constituisse. Inter filios & parẽtes omnium maximam hanc necessitudinem esse. Filium qui hanc violat: & patris vitæ, quam tueri debet, insidiatur, in multa peccare. Ciconiarum & Meropum in parentes pietas admiranda. Aurea Aurelij Cassiodori in impios liberos verba.

MERITÒ liberos qui parentibus necem intulerint, hâc seuerissimâ cullei pœnâ puniri, nemo nisi prorsus rationis expers poterit inficiari. Nam vt Cicero[a] ait, *In patris vitâ violandâ multa peccantur, violatur is qui procreauit, is qui aluit, is qui erudiuit, is qui in domo & republicâ collocauit.* Et cùm diuinis legibus[b], qui patrem maledixerit filius, quíve contumax & proteruus fuerit, lapidibus obrui iubeatur; cur non humanæ sanctiones asperrimum parricidij crimen nouis vindicent pœnis? & eum atrocissimis crutiatibus perimant, qui patrem pro quo si res postularet mori debebat, immanissimè vitâ priuauerit? *Speret igitur* (vt Impp.[c] aiunt) *parricida quod fecit*, & cùm non solùm (vt rectè Fortuni⁹ Garsias[d] Hispanus noster doctissim⁹ inquit) vnum tantùm, sed duplex delictũ, duplex præceptũ transgrediendo, cõmiserit, duplicari sibi pœnas, nequaquã queratur. Qui enim parentẽ interficit, non solùm homicidij reus esse dignoscitur; sed etiã violatæ pietatis crimẽ incurrit, quæ parẽtib⁹ non secus ac Deo præstari à liberis debet.

a *Cicer. parad. 4.*

b *Exod. & Deu. c. 21. cap. non satis §. cæterũ 86. distinct.*

c *Impp. in l. nemo C. de episc. aud.*

d *Fortun. in l. veluti D. de iust. & iur. arg. l. plura delicta de oblig. & act.*

Sic enim præclarè Tullius[e] *pietas est* (inquit) *omniũ virtutum fundamentum: parentem vt Deum vereri*, Et Plato[f]; *Nullum liberos Deo proximiùs simulachrum habere posse quàm parẽtes, quibus honoratis Deus gaudet.* Sic etiam D. Ambrosius[g] (vt alios ex Theologicâ schola prætercam) *Primus* (ait) *gradus pietatis est iste, vt quos auctores tibi voluit esse Deus, honores obsequiis, abstineas contumeliis. Neque vultu lædenda est pietas parentum.* Sed neque absunt nostri iuris auctores. Nam Paulus[h], filio sanctam, & honestam semper patris personam videri debere, scriptum reliquit, & Pomponius[i] & Vlpianus, naturali omnium gentium iure pietatem, reuerentiam, & obsequium parentibus à liberis esse præstandum, & ni faciant, ad id per iudicem compelli posse, testantur. Diocletianus[l] quoque, non reuerentiam tantùm, sed & subsidium vitæ, pietatis ratione omnino præstari parentibus iubet. Et Constantinus[m], à filijs, vt in causâ inofficiosi obtineant, probari requirit, *quòd obsequium debitum iugiter, prout ipsius naturæ religio flagitabat, parentibus adhibuerint.* Seneca[n] etiam naturalem legem hominum mentibus insitam, hanc pietatem liberorum in parentes præcipere tradit; quam Valerius[o], Deorum numinibus æquari sic tamen vt patriæ maiestati cederet, dicere ausus est. *Cuius maiestati* (patriæ scilicèt) *illa quæ Deorum numinibus æquatur, auctoritas parentum, vires suas subiecit.* Sed neque parùm hæc eadem parentum veneratio ex his extollitur, quæ Ioann. Sarisberiensis, Petrus Gregorius, & Petrus Faber[p], affatim scripserunt, quorum scripta compilare meum non est. Quid quod Pisidam, parentibus quasi Dijs libasse Ioann. Stobæus[q] scribit: Idemque[r], *parentes post*

e *Tulli⁹ in orat. pro Plant.*
f *Plat. lib. 11. de legibus.*
g *Ambr. sup. Mathæ. S. Tho. 2. 2. q. 26. ar. 3. Diu⁹ Hieron. sup. Ezechie. & alia quæ de pietate tradit Tiber. Dec. 2. to. crim. li. 9. c. 6.*
h *Paul in l. Liberto 9. de obseq. à lib. & lib.*
i *Pomp. in l. veluti de iust. & iure Vlp. in l. 1. D. de obsequijs & in l. si quis §. si vel parens. de li. agnos.*
l *Dioclet. in l. filia. 5. C. de patr. potest.*
m *Cõst. in l. liberi 28. C. de inoffic.*
n Senec. *lib. 6. de benefic. c. 23.*
o *Valer. li. 5. ca. 6. in princ.*
p *Ioan. Sarisb. in Policra. li. 5. c. 4 Pet. Gre. in præl. iur. li. 2. c. 40. Petr. Fab. li. 2. sem. c. 1. & 2. & li. 3. c. 13. & alij plures relati à Cened. in collect. 20. ad decret. n. 1.*
q *Ioan. Stob. ser. 42.*
r *IdẽStob. ser. 77.*

post Deum plurimi fieri, quasi secundos, ac terrestres Deos esse, & quasdam velut Deorum imagines. Vnde non omnino carere ratione videtur, quorumdam Philosophorum sententia, qui vt Agellius[s] refert, ita patri obsequendum existimabant, vt nihil in omnibus eius iussis à filio detrectare liceret. Quam in rem Pontanus[t] plurima, nonnulla etiam Tiraquel.[v] scripsit. Neque quod Simplicius Epicteti interpres opinatur, qui vt Guillelmus Fornerius[x], I. C. non incelebris, tradit, cùm rationem inquireret propter quam patruus Thius appelletur, (quod nostrati *Tio* respondet) ait, *Quod cùm patres liberis sint quasi* θεοὶ *idest Dei. qui tum proxime ad eos accedunt,* θεῖοι *patrui & auunculi appellati sunt. Et quamuis metu diuinæ maiestatis, parentes Deos nominare desierimus, veteris tamen eius notæ vestigia in patruorum appellatione remanserunt.* Quæ omnia in causâ sunt, vt non ineptè tentare videatur Franc. Conanus[y], filios dum in patris manu & ditione consistunt, in parentum sacris[z] constitutos vocari, non, quòd eorundem priuatorum familiarumque sacrorum participes essent, vt alij voluerunt[a], sed quòd filio pater in cuius potestate est, sacrum quoddam & venerandum simulachrum, vt ex supra dictis colligitur, videri, & iudicari debeat. Quinimo & patres mortuos apud Romanos loco numinum à filijs habitos, & inter Penates relatos, latè Casaubonus[b] ostendit. Accedit his, quod pietatis & venerationis ratione semotâ, non potuit parricidij crimen atrocissimis pœnis non coërceri; Nam si quòd natura inter nos cognationem quamdam constituerit, *cum nos* (vt inquit Seneca[c]) *ex eisdẽ & in eadem gigneret*, hominem homini insidiari nefas esse Florentinus[d] concludit, & vt Cicero ait *Si hoc natura*

s *Agell. li. 2. c. 7*

t *Pontan. lib. de obedientia.*

v *Tiraq. de pœn. temp. caus. 34. n. 2.*

x *Forner. li. 1. se lect. c. 14.*

y *Conan. li. 2. c. 13. nu. fin.*

z *L. cum oportet in princ. C. de bon. quæ li. 6. l. filiæ licèt. C. de collat. l. 1. §. fin. C. de ann. excep. cùm alijs.*

a *Alciat. 1. prætern. Briss. li. 17. ver. in sacris. Forcat. dial. 15. nu. 1. Pinel. in Rub. C. de bon. 2. p. ex n. 4. vide etiam de sacris patern. Ræuard. li. 2. coniectaneo. ca. 11.*

b *Casaub. in notis ad Sueton. & rursus in notis ad Capitol. pag. 108.*

c *Senec. 2, epist.*

d *Florent. I. C. in l. vt vim de iust. & iur. facit l. nõ tãtũ 6. D. de appellation.*

natura perscripsit, vt homo homini, ob eam causam quòd homo sit, consultum velit: certè violare alterum lege naturæ prohibemur. Quanto censeri debuit grauius iniquiusque, filium in patrem, cui non generali humanitatis ratione dumtaxat coniungitur, sed eamdem cum eo personam, eamdem vocem atque idem corpus habere putatur[e], contra diuinas omnes & humanas leges sæuire? Hostem ne alij prælio lacesserent, quàm qui sacramento tenerentur, cautum apud Romanos Cælius[f] commemorat, qui in hoc eos præmonstrare voluisse docet, ne hostem quidem interfici oportere, ni adigat summa & ea legitima necessitas. Vnde & Chrysantam collaudauit Cyrus, quòd hostem interfecturus, iam elatum in cædem gladium reuocasset, eo quòd receptui canere audisset. Quo igitur pacto præteri inulta eius immanitas poterit, qui non hostem, sed patrem à quo genitus & educatus est, propter eam tantùm causam occiderit, quòd ab eo vitam acceperit? aut quo modo hanc plusquam belluinam feritatem nõ execrabimur? cùm Seneca[g] homines hominibus infestos esse miretur, dum inquit, *Si quæsierit aliquis, quæ causa hominem aduersus hominem in facinus coegit? nam neque feris inter se bella sunt; nec si forent, eadem hominem deceant, placidum proximumque diuino genus. Quæ tanta vos fert ira, cum vna stirps, idemque sanguis sitis? vel quæ furiæ in mutuum sanguinem egere? Parentes* (inquit Tullius[h]) *carissimos habere debemus, quòd ab his vita, patrimonium, libertas, ciuitas tradita est.* Et Plato *Fas est* (ait) *parentibus prima & maxima debita, omnium antiquissima debitorum, persoluere; putare enim quisque debet, omnia quæ possidet eorum esse, qui genuerunt, & educarunt.*

Vnde

e *L. fin. C. de Imp. l. cum scimus C. de agric. & cens. li. 11. §. ei vero inst. de inutil.*

f *Cæl. Rhod. li. 11. lect. ant. c. 18.*

g *Senec. li. 2. cõtr. 1.*

h *Tull. in orat. post redit ad Sen.*

Vnde pulchrè Diogenes ille Cynicus, vt Laertius[i] recenset, quemdam qui patrem despiciebat videns, *Non te pudet* (inquit) *eum contemnere cui debes hoc ipsum quod tibi placeas*. Cur ergo à filijs hanc, quam naturali iure debent, antidoralem obligationem [l] non exigemus? aut cur non solùm non præstitas educationis vices, sed ereptam parentibus vitam, quam omnino curare debuerant, seuerissimis pœnis non vindicabimus? cùm talia fecerint, *qualia* (vt Iustiniani[m] verbis vtar) *irrationabilia etiam amouent animalia*. Nota est namque insignis Ciconiarum in parentes pietas, quæ, vt Iulius, Solinus[n], & alij plurimi auctores retulerunt. *Quantùm temporis impenderunt fœtibus educandis, tantùm & ipsæ à pullis suis inuicem aluntur*. Vnde & à pietate apud Hæbreos nomen *Chasidith* ipsas inuenisse admonet Petrus Faber[o], Et à Petronio Arbitro[p], *Pietati cultrices*, dicuntur, Et à Diuo Ambrosio[q] ex Romanorum vsu piæ aues cognominantur. Cuius verba, quæ meritò aurea Baptista Pius[r] appellat, præteriri nisi impiè, non possunt. *Aues* (inquit) *non erubescunt reuerendi senis membra portare. Est enim vectura pietas, quod eò vsque frequenti testificatione percrebuit, vt congruè mercedem remunerationis inuenerit. Nam Romanorum vsu pia auis vocatur: & quod vix vni Imperatori Consulto Senatus delatum dicitur, hoc istæ aues in commune meruerunt. Pios enim filios, patrum prius oportuit iuditio prædicari. Habent etiam & vniuersorum suffragia: nam retributio beneficiorum ἀντιπελάργωσις* dicitur, *πελαργὸς enim Ciconia nominatur*. Sed, vt Andreæ Alciati[s] nobilissimum de hâc re Emblema prætercam, & nihil de Meropibus dicam, quæ

i *Laert in eius vita.*

l *L. sed si l. §. cōsuluit de petit he redit. l. si pignore 56. de furt.*

m *Iustin. in auth. de incest. nup. vbi sic legēdū est non admonēt vt perperā Acc. & Fortun. qui valde inuoluitur in l. 1. §. ius natur. vers. ex his etiā de iust. & iur.*

n Solin. *in Polyhistore. c. 43. Plini⁹ li. 10. c. 23. Ælian. de var. histor. li. 16.*

o Pet. *Fab. li. 3. semest. c. 13.*

p *Pet. Arb. in satyr.*

q *D. Amb. in hexam. li. 5.*

r *Baptist. Pius annot. c. 69.*

s *Alc. embl. 30. & vide Cæl. lib. 11. c. 17. Pe. Crin. de hon. disc. li. 4. c. 13. Sim. Maiol⁹ in dieb⁹ canic. colloqu. 6. pagin. 223.*

quæ vt Aristotel.[t] Aelianus,& alij testantur, hâc etiam iustitiâ siue pietate longè latèque præstant,& parentes non senescentes modò, verùmetiam simul ac datur facultas, exire è nido non sinunt, & educationis vicem reddētes proprijs, laboribus pascũt: Non possunt non aptissimam, his, quæ de filiorum erga parētes pietate retulimus, Magni Aurelij Cassiodori[v] epistolam subdere, quæ, verè fateor, summo me gaudio delibutum reddidit, & mirabili voluptate perfudit, nec minori, vt arbitror, lectorem perfundet. Ea igitur, vindictam ab impijs filijs omnino sumi debere, his elegantissimis verbis ostēdit.

t. *Arist. de anim. li. 9. c. 13. Ælian. li. 11. de animal. c. 30. Plin. li. 10. cap. 33. Suid. in* αντιπελαργεῖν *Pet. Fab. supr.*

v. *Cassiod. libr. 2. ep. 14.*

SIMMACHO PATRICIO THEOD. REX.

Quis possit accusare iã reliqua, si pietatis nomina probãtur esse crudelia? Negligitur leuis reatus, cùm tragœdia criminis magna tonuerit, nec aliquis nititur, quod parum est vindicare, si delicta summa respiciantur euadere. Inimicum trucem ratio ipsa professionis ostendit, iratum plerumque poteris inuenire collegam. Inobedientem verò filium declinare pœnas non permittit humanitas. Vbi est illa naturæ vis, quæ amplexu copulæ destinatur ad posteros? Ferarum catuli sequuntur parentes, à cespite suo virgulta non discrepant, propago vitis propriæ seruit origini, & discrepat homo à suo susus initio. Quid dicamus illa beneficia, quæ vel extraneam possunt obligare personam? Nutriuntur à paruulis, ipsis laboratur, ipsis diuitiæ conquiruntur: Et cùm sibi vnusquisq; credat abundare quod possidet, cum à patribus adhuc quæritur, pro alterâ potius ætate peccatur. Proh dolor! non merebimus eorum affectum, pro quibus subire non recusamus exitium? Maria ipsa sæuis tempestatibus excitata, genitoris cura non refugit; vt peregrinis mercibus acquirat, quod propriæ soboli derelinquat. Aues ipsæ quarum vita semper in escis est, naturam suam extraneâ sorde non maculant. Ciconia

nia redeuntis anni iugiter nuntiatrix, eiiciens tristitiam hyemis, lætitiam verni temporis introducens, magnum pietatis tradit exemplum. Nam cùm parentes eorum pennas senio coquente laxauerint[v]*, nec ad proprios cibos quærendos idonei potuerint inueniri, plumis suis genitorum membra frigida refouentes, escis corpora lassa reficiunt. Et donec in pristinum vigorem ala grandæua redierit, piâ vicissitudine iuuenes reddunt, quod à parentibus paruuli susceperunt. Et ideó non immeritó longâ vitâ seruantur, qui pietatis officia non derelinquunt. Perdicibus etiam mos est, oua perdita per alterius matris damna sarcire, vt adoptione alienæ sobolis, incommoda suæ reparet orbitatis; Sed mox vt nati fiduciam habere cœperint ambulandi, ad campos exeunt cum nutrice, qui vt fuerint materna voce commoniti, ouorum suorum potius genitricem petunt, quamuis ab aliis, furtiuis fœtibus, educentur. Quid ergo homines facere debebunt, quando & hanc pietatem auibus inesse cognoscunt? Romulum itaque, qui facti sui acerbitate pollutus, nomen fœdat Romanum, ad vestrum facite venire iudicium. Et si eum patri suo Martino manus iniecisse constiterit, protinus legitimam sentiat vltionem; quia ideò elegimus mores vestros, quia crudelibus parcere nō potestis. Quādo genus pietatis est in illos distringere, qui contra naturæ ordinē, sceleratis se docentur actionibus miscuisse.*

Hæc Cassiodorus. Cuius elegantissimis verbis similia alia Antonij Sabellici[x], & plurima pientissimorum filiorum erga patres exempla, lectori forsitan non ingrata, subijcerem, nisi id iam antea diligenter præstitisset Iacob. Menochi[y], & vt Polybi[z] ait, *Minimè necessarium esse putarem, vt de his quæ rectè, & à multis dicta sunt, denuò sermo habeatur.*

v *Lassauerint reponēdum contendit Christoph. Colerus parerg. cap. 30.*

y *Ant. Sabell. memorab. tt. de piet. in parent.*

y *Iacob.* Menoc, *libr. 6. præsum. P. Torres in philos. princ. lib. 4. per tot.*

z *Polyb. lib. 1. in princ.*

a *Iustinia. auth. quib. modis. nat. eff. leg. §. si quis verò non habens. & auth. quib. modis eff. sui. §. si quis ergo filios.*
b *L. eas de cap. min. §. sed naturalia inst. de iur. natu. l. amicissimos 36. §. Lucius, de excus. tut.*
c *Plut. in Apophteg. reg. & imp.*
d *Cic. de defensione loquēs p Mil.*
e *Vt constat ex relatis à Greg. Lop. in d. l. 12. verb. al fijo. Iul. Cla. §. parricidiū. nu. 2. Plaz. de delic. ca. 22. nu. 12. Vel. c. 27. nu. 2. Tiraq. de pœn. tem. cau. 20. nu. 12. & in l. si vna quā verb. donat. largit⁹ nu. 235. Fortun. Garcia de vlt. fin. illat. 2. Ant. Gom. 3. to. c. 2. n. 3. & Tiber. Dec. li. 9. crim. c. 8. n. 8. qui idem tradit in patre nat. occidēte filium.*

CAPVT TERTIVM.

Naturales quoque & extra matrimonium procreatos liberos, æquè ac legitimos parricidij teneri. De spurijs & incestuosis quosdam contrà sentire. Nos pluribus in vtramque partem expensis, nullam quoad hūc casum liberorum differentiam faciēdam, seriò docemus. Naturam æqualem filijs omnibus esse. Nullum parentem à filio in ius vocari permitti, quidquid alij opinentur. De spurijs plura scitu non indigna.

NATVRALES liberos, hoc est, qui citra matrimonium generātur, nullâ à legitimis distinctione, quoad fœdus naturale, discerni, multis in locis Iustinia.[a] admonuit. Neque id sine magnâ & graui ratione, siquidem lex ciuilis, aut legitimorum solemnium defectus, naturæ vim mutare, aut stimulos naturales retundere nequit[b]: Vnde Dionysius senior apud Plutarch.[c], nullo iure ciuili, nec ipsâ quidem principis auctoritate naturalia iura dirimi posse dicebat. Quò fit, vt, cùm parentum veneratio, debitaque eis à filijs pietas, ex ipsis naturæ fontibus scaturiat, sitque lex hæc, quâ colere & suspicere parentes iubemur, (vt Cicero[d] aliàs inquit) *Non scripta sed nata, quā non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex naturâ ipsâ arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.* æquè naturales liberi, ac ij, qui ex iustis nuptijs procreati fuerint, parricidij pœnâ teneatur; Quod concors scriptorum omnium schola[e] recepit & non inefficacibus argumentis probari potest. Videmus namque iura, quæ cullei pœnam asperrimo huic crimini irrogandam statuunt, naturali paren-

tum appellatione vsa fuisse, & personas quæ in hoc incidunt scelus naturaliter designasse, quo casu non ciuilium legum dispositionem, sed naturam ipsam inspicim⁹, vt ex Paul.[f] responso colligitur. Rursus, & si naturalium, & legitimorum parentum inæqualis sit erga filios potestas, tamen vt verbis vtar Vlpiani[g] *pietas eis æqualis debetur*, atq; ideò in edicto de in ius vocando, quo pudori parentum parcitur[h], ne violenta illa manus prehensione, & obtorto collo rapi in ius à liberis possent naturales etiam parentes hoc priuilegium habere Vlpianus[i] ex Labeone nos docet; & apertiùs Iulius Paul.[l] redditâ quæ maximè ad rem nostram conducit ratione, sic inquiens. *Parentes naturales in ius vocare nemo potest: vna est enim omnibus parentibus seruanda reuerentia.* A quo non longè abest quod ipse Iulius Paul.[m] alibi tradit, *Vulgo quæsitam filiam, naturalem patrem ducere vxorem non posse: Quoniam in contrahendis matrimoniis, naturale Ius & pudor inspiciendus est, contra pudorem est autem, filiam vxorem suam ducere.* Denique in ipso de quo agimus crimine, seruum, licèt nec ciuiles, & legitimas nuptias[n], sicut nec alia quæ iuris erant Romani, cognoscat, à filio tamen occissum, lege Pompeiâ de parricidijs vindicari, Venuleius[o] Iurisconsultus scribit. *Sed cum natura* (inquit) *communis est, similiter & in eos animaduertetur.* Neque aduersatur, quod naturales liberi, præsertim non ex concubinâ domi retenta, sed vulgo concepti atque procreati, quos vt Andreas Alciatus[p] & alij obseruarunt *Nothos* appellare solemus patrem habere non intelligantur, atque ita neque parricidium committere possint: cùm vt Paulus[q] ait, *Pater is tantùm sit quem nuptiæ demonstrant.* Et

f *Paul. in l. tutelas de cap. minu.*
g *Vlp. in l. 4. de curat. furios.*
h *L. 4. D. de in i⁹ vocan. l. fin. C. eodem, & de modo vocan. in i⁹ vide*
i *d. l. 4. in fin.*
l *Paul in l. parẽtes 6. de in ius vocan.*
m *Idem Paul in l. adoptiuus. 14. vers. vnde nec vulgo D. de ritu nupt.*
n *Princ. inst. đ nupt. l. cũ ancill. C. đ incest. nup. l. quod attinet. đ reg. iur.*
o *Venul. in l. hos accusare 12. §. itẽ nec lex. D. de accusat.*
p *Alciat. li. 4. parerg. c. 5. Mercer. li. 2. opin. c. 7. Conan. li. 2. c. 16. n. 2. Paleo. de noth. c. 17. & 18. Mãt. in Ench. c. 182.*
q *Paul. in l. quia semper de in ius vocan. l. filiũ eũ đ his qui sunt sui.*

vt Modestinus[r] *vulgo quæsiti patrem demonstrare non possint.* Vnde prouerbiali carmine dicitur.

Cui pater est populus non habet ille patrem.

Et filij isti si Iustiniano[s] credimus, incertum patrem habent, & spurij solent appellari, quasi sine patre filij, eo quòd olim, vt scribit Plutarchus[t], (quamuis Antonius, Concius[v] alias Etymi rationes inquirat) spurius his notis. S P. designari soleret, quasi patrẽ non habens, vnde spurij nomen ei inditum est. Nõ quia filij sine patre esse vllâ ratione potuerint: sed quia, vt Syluester Aldobrandinus[x] eleganter cum Theophilo notat, *Ob numerum eorum qui cum matribus eorum consuetudinem habent, patres habere non intelliguntur.* Quamobrem Aristippus, auctore Laertio[y], cùm illi meretrix diceret, abs te grauida sum facta: nihilo (inquit ille) magis hoc nosti, quàm si super spinas densissimas incedens diceres: Ista me pupugit. Diogenes autem, eodem Laertio[z], teste conspicatus meritricis filium, lapidem in turbam coniiciẽtem: Caue, inquit, ne patrem ferias. Quò respiciẽtes Athenienses, Cecropem, qui primus vnam vni iunxit in matrimonium, & concubitus vagos coërcuit, duplicis naturæ, vt Suidas[a] & Athæneus memorant, esse finxerunt; vt superiore parte virum referret, inferiore fœminæ speciem ostenderet; significantes per matrimonium homines non matrem tantùm, sed & patrem etiam cognoscere posse. Nã etsi quoad ciuiles effectus patriæ potestatis, & successionum iura, hæc omnia quæ diximus vera sint, & vulgo suscepti filij pro non filijs sint, & patrem habere non videantur. Quoad reuerentiam tamen & obsequium parentibus debitum, & reliqua alia, quæ ex naturâ ipsâ descendunt, naturales liberi nihilo

r *Modestin. in l. vulgo 23. ff. stat. hom.*

s *Iust. in §. penul. Inst. de nup.*

t *Plutar. in probl.*

v *Ant. Conci⁹ li. 2. successiuarum lect. c. 11. & Hotom. in disp. ff. spurijs. Et oĩo vidẽdus Cuiac. lib. 5. obseruat. cap. 6.*

x *Syluest. in d. §. pœn.*

y *Laert. in vita Aristippi.*

z *Idem in Diog. Cyni.*

a *Suid. in* Κέκρωψ *Athæn. lib. 13. c. 1. Quãuis Cæl. Rhod. lib. 6. lect. antiq. c. 14. aliam huius rei causam tradat.*

hilo à legitimis differunt[b] & violatæ pietatis pœnas æquâ lance perpeti debent. Cùm interdum & ipsi vehementiùs quàm legitimi à parentibus diligantur, vt Pelopæ & Hebij exemplis adductis ostẽdit Plutarch.[c]. Cumque non deficiant in iure, vt Paleotus[d] & Mascardus docent præsumtiones & argumenta, quibus filiorum etiam naturalium pater cognosci, & probari plenissimè queat. Neq; oporteat meliorem esse causam naturalium quàm legitimorum, & contra Iustiniani[e] sanctionem, *plus habere castitate luxuriam*. Ex quibus explodenda est Bart.[f] Imolæ. Angel. Alex. & aliorũ opinio, qui incestuosos filios & ex illegitimo coitu procreatos, parricidii crimen nequaquam incurrere constanter defendunt. Nam etsi hi patrem quoque habere non cẽseantur, quòd talem habeant quem habere nõ licet, vnde & ex Solonis legibus nihil parentibus debebant, à quibus solam infamiæ labẽ accepissent; quæ apud Athenienses, vt Claudius Minoes[h] refert, adeò grauis existimabatur, vt locum quemdam haberẽt quo spurij seorsum ab ingenuis exerceri essẽt soliti, quem Cynosargem appellabant: nam contaminari nobilitatem spuriorum consuetudine verebantur. Adhuc tamen ego in contrariam sentẽtiam manibus & pedibus eo; & filios, quantumuis incestuosos, & ex damnato coitu generatos, parricidij reos esse posse, cum Baldo[i], Greg. Lopez, Couarrub. Plaza & alijs veriùs existimo: communis namque est, vt diximus, omnium filiorum natura[l], &

b *Vt constat ex sup. citat. iuribus & ex auctoribus congestis à Tiraquel. d. causa 20. nu. 12.*

c *Plut. in parallel.*

d *Paleo. d. not. & spur. c. 26. Masc. de pb. concl. 791.*

e *Iust. in auth. de rest. & ea quæ parit §. fin.*

f *Bar. in l. Diu⁹ de parr. Imol. in l. ex facto. §. si quis rogatus ad Trebel. Alex. in d. l. Diu⁹, & in cõs. 143. vol. 1. Ias. in §. pœn. n. 61. inst. de act. Speculat. in tit. de accusat. §. 1. & alij relati à Plaza d. c. 22. nu. 12. Pet. Gerar. sing. 2. in fin. Tib. Decian. li. 9. crim. c. 15. nu. 30.*

h *Claud. Min. ad Embl. Alc. 138.*

i *Bald. in c. 1. §. naturales si de feud. fuer. contr. inter dom. & vass. Gregor. in d. l. 12. par. verb. al fijo. Couarrubias qui alios refert. de sponsal. 2. par. cap. 8. §. 6. num. 2. Plaza d. cap. 22. num. 12. & 13. Fortun. de vltim. fin. illat. 7.*

l *D. l. hos accusare §. omnibus D. de accusat.*

& licèt lex ciuilis huiuscemodi liberos tantùm abhorreat, vt neque ali à parentibus debeant [m]. Tamen vt grauiter & doctè inquit Franc. Connanus [n] *Lex naturæ nullis se angustiis includi passa est, eodemque iure filios omnes, quomodocumque nati essent habuit. Tam pater est eius instituto, qui ex concubina, meretrice, ancillâ, consobrinâ, quàm qui ex iustâ vxore liberos suscepit.* Vnde & ex simili coitu, naturalis coniunctio & affinitas nuptias prohibens, nascitur [o], & filius quamuis per incestum susceptus, nō ideò filius esse desinit, quoniam, vt ait Augustinus [p]: *Semen hominis ex qualicumq; homine Dei creatura est: & eo malè vtentibus malè erit, nō ipsum aliquando malum erit.* Quo fit, vt & ali ex Pontificijs decissionibus debeat [q], iuxta iuris naturalis præcepta [r], & omnino, eodem iure dictante, parentibus obediētiam & pietatem præstare teneatur, pariterq; ac legitimus, si asperrimum parricidij crimē commiserit, cullei pœnâ plectatur. Neque turbor Accursij [s] sententiâ, (quæ supradictos auctores decepisse videtur) existimantis, incestuosos & illegitimos siue adulterinos liberos, non teneri reuerentiam parentibus exhibere, atque adeò illos sine veniâ in ius rapere posse: nam etsi Accursij iudiciū, Angelus [t], & Zassius commune esse testentur: contraria tamen opinio magis iuris regulis consentanea videtur, neque enim frustra Paulus [v] generaliter loquitur, dicens: *Vna est enim omnibus parentibus seruanda reuerentia*, nisi vt quoscumque parentes à quibuscumque filijs vocari non posse significaret, prout contra Accursium optimè cum Azone [x], Ia-

m *Auth. ex cōplexu C. de incest. & nefar. nup. quā conatur à duritia defendere Madera animad. c. 32.*
n *Cōnan. d. li. 2. c. 16.*
o *L. & nihil 54. D. de rit. nup. c. discretionē de eo qui cogn. cōsang. vx. suæ, Vide Tiber. Dec. li. 9. crimin. c. 9. n. 11. qui hinc seruorū filios parric. teneri ait.*
p *D. Aug. de bono cōiug. c. 16. relat. in c. sicut. 32. q. 4.*
q *cap. cum haberet. de eo qui dux. in matr. Soci. cōs. 161. Couarr. sup. Paleot. de noth. c. 48.*
r *L. 1. §. ius nat. D. de iust. & iur. princ. inst. de iure nat. c. i⁹ naturale. 1. dist.*
s *Accur. in l. quia semp̄ ꝗ in i⁹ vocā.*
t *Ang. in §. pœn. inst. de act. Zasi⁹ in l. 4. §. præter ait D. de in ius vocan.* v *Paul. d. l. parēt. de in i⁹ vocan.* x *Azo in summa C. de in ius vocan. Ias. d. §. pœnal. n. 61. Fort. Gar. de vlt. fin. iur. illat. 7. vers. quinimo cōtrarium, Syluest. d. §. penult. inst. de nup.*

Iason defendit, & elegãter Fortun. Garc.& Syluest. Aldobrandinus. Et cùm patronum etiam ex fideicommissi causâ manumittentem, ob solum libertatis beneficium in ius vocari prætor prohibeat[y], cur non quemcumque parentem, à quo filius habuit vt viueret, eodem honore donabimus? Præsertim cùm ipsâ grauitate, vt Maynus[z] considerat, ætateque plerumque grandiori, parentes commendentur; quod nedum filios, verum & extraneos quodammodo ad reuerentiam inducit. Vnde Ouidianum[a] illud:

Magna fuit quondam capitis reuerentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.

Cui adstipulatur Iuuenal.[b] dum inquit:

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non assurrexerat, &c.

Et alia quæ de senectutis veneratione Corra.[c] Cõnan. Tiraquel. & alij scripserunt. Quibus addo quod de nothis in hunc sensum scribit Euripides. *Nothum genus habet nomen culpabile, natura verò æqualis est.* Planè adoptiui filij cùm in eis ea cessent, omnia quæ supra retulimus, parricidij non tenebuntur, vt doctè, & latè Tiberius Decianus[d] obseruat.

y L.4.& ll. is cui 9.D. de in ius vocando.

z Ludo. Mayn. li. 2. act. c. 44.

a Ouid. 5. fast.

b Iuuen. saty. 13.

c Corras. de iure ciui. in artem red. 2. p. c. 6. Connan. 1. comm. c. 9. n. 3. Tiraq. ꝗ nob. c. 19. & ꝗ primog. in præfat. à nu. 75. Madera. ꝗ las excellen. de España cap. 3. in princ.

d Tiber. Decian. li. 9. crim. c. 9. n. 5.

CAPVT QVARTVM.

Proscriptum Patrem, quem bannitum vocant, à filio citra parricidij crimen, quidquid alij arbitrentur, occidi non posse. Hoc varijs rationibus & exemplis corroboratum. Limitari tamen vbi pater in patriam aut Principem aliquid hostili animo moliretur, nec alia remedij via daretur. Expenduntur in hanc rem elegantissima Marcelli, Ciceron. & aliorum testimonia. Patriæ nos plus quàm parentibus debere. Maiorem parentem à Varrone appellari. Qui obiter declaratur. Hoc etiam exemplis adstructum.

Illud

ILLVD etiam magnis ſcribentiū concertationibus diſputatur, an filius citra parricidij crimen, proſcriptum patrem (quem Bannitum vocant) occidere poſsit? In quâ quæſtione, aientium & negantium auctorum ſententiæ reperiuntur, quos vt compendio referam, Ludouicum Carrerium[a], Petrum Plazam, & ab eis omiſſum Tiraq. allego. Sed tandem in eam magis frequens eorum numerus conuenit, quæ diſtinctione adhibitâ mediam quodammodo viam ſequi videtur, vt ſi ob maieſtatis crimen, vel patriæ proditionem proſcriptus fuerit pater, impunè occidi à liberis poſſit, ſi verò ob aliā cauſam non ita. Quæ opinio Bart.[b] Angelo, Paulo Caſtrenſi & antiquioribus alijs arriſit, & communi omnium ferè recentiorum ore probatur[c]. Mihi verò (tantùm pietati tribuo) etiam in hoc caſu filio patrem occidere nequaquam licere, magis arridet. nam & ſi lex ciuilis, publicos hoſtes & maieſtatis reos, cognationis & agnationis iuribus & effectib' priuet[d], naturalis tamen ſanguinis qualitas, & debita parentibus pietas nullo pacto aboleri, nulloq; iure dirimi poteſt, vt paſſim Iureconſulti teſtantur[e] vnde & alimenta his proſcriptis, à filijs deberi, & reliqua omnia, quæ naturalem cauſam habent, manere eis incolumia, licèt aduerſentur plures, plurimi alij fatentur[f]: Et quamuis occidendi proſcriptū ſiue perduellionis damnatum, poteſtas omnibus fiat; cùm tamen id neceſsitati non ſubijciatur, quod poteſtati ſeu voluntati committitur[g], non omnino impium filij facinus impunitum relinqui debere cēſerem, qui de patris vitâ, pro quâ optimum conſi-

lium

a *Carrer. §. de homicidio verſ. 9. quæro. n. 26. Plaza de delict. c. 22. nu. 14. Tiraq. de pœn. temp. cauſ. 20. n. 6. & 7. Catel Cot. in memorab. verb. Bannitus el. 3.*

b *Bart. in l. ſi adulter. §. liber. ff adult. & in l. minime de relig. Angel. in auth. de incest. nup. in princip. Ioan. de Portona. in l. qui ſeruū de verb. Paulus Caſtr. in l. 1. §. ius autē de iuſt. & iur.*

c *Vt conſtat ex Carrer. & Plaza vbi ſup.*

d *L. poſt Limin. §. fi. ius de captiuis.*

e *L. ius autē D. de pact. l. iura ſanguinis ff reg. iur.*

f *Quos refert Tiraq. ſup. n. 8. cum ſequent. Meno. ff arbitr. q. 90. nu. 45. & relati à Cened. in collect. 20 ad decretum num.* 2.

g *Leg. non quidquid de iudic.*

lium capere debuit, tam iniquum sumsit arbitrium. Cùm neque patronum (cui patrem præferri, vel Agellij[h] testimonio probatur) impunè posit libertus etiam in casu permisso, vt Modestinus[i] docet, vitâ priuare: neque (vt in receptatoribus Paulus[k] scribit) par sit eorum delictum, qui nihil ad se pertinentes homines occiderunt, & eorum, qui non affines quidem vel cognatos, sed patrem ipsum pro quo mori debuerant, interfecerint. Vnde meritò à Valerio Maximo[l] & alijs, cuiusdam filij crudelitas execratur, qui patrem tonantibus bellis ciuilibus proscriptum, & apud clientulum securè latentem, militibus prodidit, eoque nomine à sanguinarijs tribunis, patris bona, delationis præmium accepit. Contrà verò eum eximijs laudis, & pietatis encomijs Appianus[m] extollit, qui in triumviralis proscriptionis turbine, senio iam affectum patrem Oppium nomine, vtque manere liceret deprecantem, non prius dereliquit, quàm extra portam vrbis tutò sistere posset; indeque humeris impositum Siciliam vsq; indefesso animo, cui paternus amor vires suppeditabat, perduxit incolumem. Sed neque minoribus laudibus, ignobilem quamdam & humilem puerperam, Valerius[n] prosequitur, quæ cùm matrem supplicij causâ, carcere, vbi vt fame periret dānata erat, inclusam haberet. cùm impetrasset à ianitore aditum, semper excussa, ne quid inferret cibi, vberibus suis eam alens tandem inuenta fuit. quo miraculo, vt Plinij[o] verbis vtar, *matri salus donata filiæ pietate est, ambæque perpetuis alimentis: & ille locus eidem consecratus est Deæ C. Quinctio, M. Attilio Conss. templo Pietatis in illius carceris loco structo.* Ergo quidquid integrum collegium tenuerit, cui hâc quæstio-

h *Agellius lib. 5. noct. attic. c. 13.*
i *Modest. in l. si adulterium. §. liberto D. ad leg. Iul. de adult.*
k *Paul. in l. 2. D. de receptator.*
l *Valer. Maxim. li. 9. cap. 11. Cæl. Rhod. li. 11. lect. ant. c. 17.*
m *Appian. li. bellorum ciuil. 4.*
n *Valer. li. 5. c. 4.*
o *Plin. li. 7. c. 36*

nem fuisse à ciuitate Tudertinâ commissam Bart.[p] refert, & quidquid in Baldazo quodam vsu venisse, qui patrem proscriptum impunè necauit, memoret Alexand.[q]: ego adduci non possum vt credam, filio, etiã in hoc casu, patris necem impunè cessuram. Quod eò constantiùs defendo, quòd videam mecũ Angelum[r] Decium, Fortun. Garc. & Didacũ Couarrub. sentire, & eamdem opinionem probare. Nec non Cæpolam[s], qui quod plus est, extraneos opem filio dantes; hoc in casu teneri vult, quamuis aliàs neutiquam tenerentur. Planè si pater aliquid contra patriam, vel patriæ parentem Principem hostili animo moliatur, aut etiã in catholicæ fidei perniciem, quâ violatâ vix potest vlla Resp. incolumis esse, aliquid tentare præsumat, non dubitarem filium absoluere, qui vbi nihil rogando profecerit, patris scelus vel detulerit iudici, vel desperatis rebus, & nullâ aliâ remedij formâ relictâ, in illum manus injecerit. Hoc namque concors omnium vtriusque iuris intepretum schola[t] confirmat, & efficacissimâ ratione defenditur, quippè quòd non possit pater in Rempublicam facere, quin simul filio vim & iniuriã inferre videatur, quam etiam contra patrem propulsare licere, omnes cum Florent.[v] testantur. Vnde in Apolog. Tertul. *In reos* (inquit) *maiestatis & publicos hostes omnis homo miles est*. Et eum minimè parentis loco habendum, neque vt talem lugendũ Marcellus[x] admonuit, *Qui ad patriam delendam, & parentes & liberos interficiendos venerit; Quod si filius pa-*

p *Bart. in d. l. si adulterium §. libert. D de adult.*
q *Alex. ad Bart. in d. §. liber. Cotta in mem. verb. bãnitus el. 3.*
r *Ang. in d. §. liberto. Decius in c. quæ in Ecclesia rũm. nu. 14. de cõstit. Fortun. in l. veluti 9. colum. vers. ex superioribus. Couar. de spõs. c. 7. §. 7. n. 5. & in c. Rainu. in initio num. 9.*
s *Cæpol. cons. 5. n. 29. cum seqq. quẽ refert, & sequitur Tib. Decia. li. 9. crim. c. 13. n. 6.*
t *Ita tenent Fortunius, Couarru. & supradicti omnes, Carrer. tit. de homic. vers. 9. quæro, num. 27. Plaza d. c. 22. n. 15. Simancas in cathol. instit. tit. 29. num. 35. cum multis sequentibus. Petr. Gerar. sing. 2. Mant. sing. 155. & in Enchirid. c. 242. Dueñas reg. 686. amplia. & latè Cenedo collectan. 20. ad decret.*
v *Flor. in l. vt vim de iust. & iur.*
x *Marc. in l. minimè 35. de religios. vide omnino Durant. Casel. 2. var. c. 3. & Tib. Decian. sup. cap. 15. num. 9. & 10*

patrem, aut pater filium occidisset sine scelere, etiam præmio afficiendum. Id quod elegantissimè Marcus Tullius[y] expressit, sic inquiens: *Quid si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater, silebit ne filius? Imò verò obsecrabit patrem ne id faciat; si nihil proficiet, accusabit, minabitur etiam, ad extremum si ad perniciem patriæ res spectabit, patriæ salutem anteponet saluti patris.* Etenim vt multis Iurisconsultorum[z] testimonijs cauetur, non parentibus tantùm sed præcipuè Reipublicæ nascimur; Quam in pari causâ præferri debere, quicquid litteræ ordine Pompo.[a] parentes præponat, optimè post longam disputationem concludit Fortunius[b], & ex Platonis[c] sententiâ colligitur, à quâ non longè Cicero[d] abest, & alij ex Græcis Philosophis, quorum verba latè congerit Stobæus[e]. Vnde Varro[f] scitè admodum patriam maiorem parentem appellat, sic inquiens. *Si qui patriam maiorem parentem extinguit, in eo culpa est. quod facit pro suâ parte is qui se eunuchat, aut aliquâ liberos producit.* vbi vt hoc obiter animaduertam, verbum *producit* non *procreat*, significat, sed *differt*, & *impedit*, vt & verba præcedentia suadent, & rectè Christophorus Colerus[g] præuidit. Sed & Cicero[h] non minùs venustè antiquiorem siue potiorem parentem patriam dixit. *Sed quoniam* (inquit) *plura beneficia continet patria, & est antiquior parens quàm is qui creauit. maior profectò ei, quàm parenti debetur gratia.* Valerius[i] quoque hoc idem non inelegantioribus verbis edocuit. *Arctissimis* (ait) *sanguinis vinculis pietas satisfecit; restat nunc, vt patriæ exhibeatur: cuius maiestati, etiam illa quæ Deorum numinibus æquatur, auctoritas parentum, vires suas subiecit, fraterna quoque charitas*

y *Tull. 3. offic.*

z *L. 1. § sed si seruus de vent. inspi. l. 1. §. generaliter de vent in pos. mitt. l. 3. §. quod pater demum. & hono.*

a *Pomp. in l. veluti de iust. & iur.*

b *Fortun. in d. l. veluti colum. 10.*

c *Plato in Crito.*

d *Cicer. 1. offic.*

e *Stob. serm. 37.*

f *Varro relatus à Nonio.*

g *Coler. parerg. c. 34.*

h *Cicer. libr. 1. de Repub.*

i *Valer. li. 5. c. 6. in principio.*

æquo animo ac libenti cedit, summa quidem cum ratione; quia euersâ domo, intemptatus Reip. status manere potest: vrbis ruina, penates omnium trahat secum necesse est. Et sanè neque exemplis destituimur, quibus præstantiorem esse patriæ, quàm parentum aut liberorum causam, manifestetur. Nam Lucium Brutum, Valerio [k] & alijs referentibus, legimus filios suos Tarquinij dominationem à se expulsam reuocare conantes, comprehensos, proque tribunali virgis cæsos, ad palum religatos, securi percuti iussisse. Cuius exemplum Darius, & alij quorum Plutar. [l] meminit sequuti sunt: Et vt interim Epaminondam, Manlium Torquatum, & Postumium Tiburtium omittam, qui filios, vt passim tradunt auctores [m], ob militiæ ordinem non seruatum morti dedere; quò forte respexit Paulus [n] dum ait: *Disciplinam castrorum antiquiorem fuisse Romanis, quàm charitas liberorum.* silentio Auidij Cassij memorabile factum inuolui nō potest; qui filium Tribunum, qui legem Agrariam primus tulerat, multisque modis populariter hominum animos sui amore deuinctos tenebat, ob affectati regni crimen domi damnauit, verberibusq; affectum necari iussit, ac peculium eius Cereri consecrauit, vt Plinius [o], Florus, & alij prodidere. Marij quoq; & Erechthei consimile factum narrat Plutarchus [p], qui patriæ charitati, naturâ postpositâ, in somnijs præmoniti, se victoriam consequuturos si priùs Dijs victimas filias facerent: nihil cunctati, eas animo libēti sacrificarūt.

k *Valer. d. li. 5. c. 8. Florus li. 1. c. 9. Aug. de ciui. Dei li. 3. c. 16. Policr. li. 4. c. 11.*

l *Plutar. in parallel. c. 23. & seq.*

m *Plutar. sup. ca. 13. Plin. li. 34. c. 4. Agelli⁹ li. 9. c. 13. Valer. sup. & li. 2. c. 7.*

n *Paul. I.C. in l. post Liminiū §. fili⁹ de captiuis.*

o *Plin. d. li. 34. c. 4. Flor. li. 1. c. 26.*

p *Plutarch. in paral. c. 40. & 41.*

(?)

CAP.

CAPVT QVINTVM.

Expositum etiam filium, & à patre quâuis occasione relictũ, si agnitum patrem occiderit, parricidij teneri, contra omnes defendimus. De expositis liberis plura. Thebanorum Romanorumque de exponentibus leges. Naturaliter etiam malè meritis parentibus ob solum vitæ beneficium, pietatem à filijs deberi. Hoc Valerij, & Ciceron. verbis, & Manlij Torquati exemplo probatum.

SVPRADICTIS proximè quæstio illa videtur accedere, an filius qui patrem occiderit, à quo sanguinolentus, id est recens natus expositus sit, vel posteà languidus, & infirmus sine iustâ causâ in xenone seu hospitali relictus, parricidij pœna, vel ordinario tantùm homicidij supplicio veniat afficiendus? Et quidem interpretes [a] omnes, quotquot de hâc re sermonẽ fecere, parricidij reatum filiũ incurrere negant, verbis Imppp. Valentiniani, Valẽtis, & Gratiani allecti, qui eum, qui sobolem suam exponẽdam putauit, non solùm animaduersioni, quæ constituta [b] est, subiacere præcipiunt, sed & aditum repetendi filij habere non sinunt. *Nec enim* (inquiunt) [c] *suum quis dicere poßit quem pereuntem contemsit.* A quâ decisione non longè nouior alia Iustiniani [d] differre videtur, quâ seruus, qui ægritudine affectus à domino destituitur, si conualuerit, seruitutis vinculis liberatus, sui iuris manere iubetur. Quod æquè in filijs valuisse, & patriæ potestatis nexibus si à parente expositi fuerint liberari, tam ciuili [e], quàm canonico, & regio iure probatur. Nam etsi olim Romulus, vt Dionysius [f] refert, libe-

a *Ita tenet post alios quos refert.* Petr. Gerar. *[illegible]* 2. *Carrer. d. vers. nono: quæro. nu.* 28. *Plaz. d. c.* 22. *nu.* 15. *&* 27. *in fin; Menoch. de arbitra. cas.* 396. *n.* 14. *Tiber. Dec. li.* 9. *crim. c.* 15. *nu.* 29.

b *Quæ erat extra ordinaria ex S.C. Plauciano, vt refert* Meno. *d. cas.*

c *in l.* 2. *C. de infant. expos.*

d *Iust. in l. fin. §. sed scimus C. de la ti. li.*

e *L.* 1. *C. de expos. in C. Theodos. ca. vnic. de infant. exposit. l.* 3. *tit.* 20. *part.* 4.

f *Dionys. Halicarn. li.* 2. *antiq. Pet. Greg. li.* 44. *Syntag. c.* 3. *n.* 2.

liberos sub certis legibus exponere concessisset, postea tamen his & alijs pœnis non immeritò ea parentum crudelitas coërcita est. Nam si filios, qui à patribus nullam artem edocti essent, patres impunè contemnere, & alimentis priuare, prudentissimus sanxerat Solon [g], cur ijs pietatem & obsequium debebunt, à quibus sub fortunæ arbitrio relicti, & quodammodo vitâ priuati immaniter fuerint? *Necare enim videtur*, vt Paulus [h] tradit, *qui denegat alimenta. Et qui publicis locis misericordiæ causâ exponit, quam ipse non habet.* Vnde apud Thebanos, vt AElianus [i] refert, lex erat, quæ capitis pœnâ mulctabat illum, qui infantem exponere, vel in solitudinem abiicere ausus fuisset. Verùm si *in extremâ* necessitate pater esset constitutus, *siue* mas siue fœmina infans esset, cogebatur eum statim à materno partu ad magistratum, cum ipsis fascijs, adferre, qui acceptum, alicui viro leui precio tradebat, cum quo pactum & conditiones intercedebant, vt per suam fidem infantem aleret, & adultum serui, vel seruæ loco haberet. Sed & Romanis, apud quos hoc crimē frequētissimum fuisse indicat Tertullianus [l], *filios exponitis suscipiendos ab aliquo prætereunte misericordiam extraneâ* variè, pro temporum varietate, vindicatum fuit, vt ex Cuiacij [m], Menochij, & aliorum scriptis constabit. Sed adhuc ego, quoad nostram pertinet tractationem, adduci non possum vt credam, etiam ob hanc causam filium patri, quem compertum & exploratum habet, & à quo se genitum esse cognoscit, citra parricidij suppliciū mortem inferre posse. Nam neq; verosimile est filiū à patre sine maximâ causâ exponi potuisse; vt enim apud Philostratū [n] ex Euripide Apoloni' ostendit

Cunctis

g Solon. *Plutar. teste in eius vita.*

h *Paul. in l. 4. de li. agnos. quæ non malè intelligi potest, de his qui exponebant filios in columnâ lactariâ Sospitæ Iunoni dicatâ, de quâ vide, quæ post Festum tradit Ræuard li. 1. cōiect. c. 17.*

i *Ælian. libr. 2. de var. hist.*

l *Tertull. in apologia.*

m *Cuiac. lib. 16. obseruat. c. 36. & in parat. ad tt. C. de inf. expos. Menoch. casu. 396. Vela de delect. c. de Exponen. inf. Boßio tit. de homic. n. 7. & 8.*

n *Philostr. lib. 2. cap. 8.*

Cunctis hominibus filii sunt ipsa anima.

Et vt exponendi occasio deficeret; ac certè, qui exponit, pater esse non desinit, neque quicquid se impiè aduersus filium & crudeliter gerat, naturâ ipsâ minor ei pietas & reuerentia debetur. Quid est enim, quod non ob solum nascẽdi initium, & huius vitæ vsuram, filij parentibus rependere teneantur? vnde rectissimè Imp.[o] etiam in nuptijs expositæ filiæ exponentis patris consensum requirit, & Fortunius Garcia[p] admodùm doctè concludit, ex supradictâ ratione filium egenti patri, quamuis ab eo nunquam aliquod beneficium acceperit, alimenta præstare, teneri. Naturaliter itaque parentibus etiam malemerentibus pietatem debemus, quod Mucij Manlij Torquati filius apud Valerium[q] ostẽdit, qui effecit, ne pater, à quo semper rustico opere grauatus, & malè habitus fuit, causam ad populum diceret; Et Valerius ipse hoc addito elogio manifestiùs expressit. *Commendabilis est pietas, quæ mansuetis parentibus præstatur; Sed Manlius quo horridiorem patrem habuit, hoc laudabilius periculo eius subuenit: qui ad eum diligendum, præter naturalem amorem, nullo indulgentiæ blandimento inuitatus fuerat.* Ostendit etiam & Cicero[r] dum pro Cluentio, ita aduersus eius matrem Sasiam loquitur. *Nam Sasia mater huius Habiti, mater enim à me nominis causâ, tã etsi in hũc hostili odio, & crudelitate est, mater inquam appellabitur, neq; vnquam illa ita de scelere, & immanitate audiet, vt naturæ nomen amittat.*

(?)

o L. patrem 16. C. de nupt.

p Fortun. in l. §. ius naturale de iust. & iur.

q Valer. li. 5. c. 4.

r Cicer. pro Cluet.

CAP.

CAPVT SEXTVM.

Parricidij crimen malè hucusque à Doctoribus ad patrum spiritualium, Iudicum, Dominorum, & similium personarum interfectores extensum. Planè qui Patriam aut Principem produnt, parricidas passim à bonis auctoribus appellari, & nō maiestatis tantùm, sed & parricidij reos videri. Hoc & debitum patriæ amorem exposcere. De quo nonnulla. Pilatum in Christi Domini morte parricidium commisisse secundùm aliquos. Qui eius interitus? Præceptoribus non secus ac parentibus reuerentiam deberi, & an in nece eorum parricidij crimen committatur.

QVEMADMODVM naturales parētes nullo casu citra parricidij crimē interfici posse, nisi vbi contra patriam aliquid moliuntur, supra contra communes Doctorum traditiones resolui: ita è contrario explodenda est mihi in hoc capite eorūdem sententia[a], qui seriò affirmare nequaquam verentur, parricidium quoq; in nece parentum spiritualium commiti, vel aliorum, qui parentum instar habeantur; veluti si quis Iudicem, Dominum, Episcopum, vel Parrochum interfecerit[b]. Nam etsi non diffitear, magnam his personis venerationem & pietatem deberi, vt pluribus adductis Tiraquellus ostendit[c]; Quis tamē ferat, particularem huius sceleris pœnam, peculiaribus rationib⁹ certis personis inflictam, ita latè produci, vt nullus ferè casus relinquatur, quo locum habere non possit? Alijs supplicijs, alia maleficia puniantur, parentum violatio hāc sibi dumtaxat animaduersionem vsurpet: neq; pœnalium legum verba contra totius legalis scientiæ principia[d], extra proprios cancellos protrahantur.

a *Ita tenent multi quos refert Plaza d.c.22. n. 18. Tiraq. in l. si vnquā verb. susceperit liberos nu. 22. Rojas in epit. suc. cap. 28. n. 9. Menoc. casu 355 nu. 16. Tib. Dec. li. 9. crim. c. 5. ex n. 5.*

b *ita docet Acc. in auth. vt iud. sine quoquo suffr. § illud. Fab. Plate. & Angelus in §. alia deinde Inst. d pub. iud. Carre. d. vers. 9. quæro n. 10. & 12. Plaza sup. n. 21. & 22.*

c *Tiraq. de pœn. tēp. caus. 21. per totam. Et Ascan. Clem. de pat. pot. effect. 3. ex nu. 7.*

d *L. interpretatione l. respiciēdū de pœn. c. odia. de regul. iur. in 6.*

tur. Præsertim cùm isthæc horum auctorum ampliationes, nullo, nec iuris, nec quotidiani vsus fundamento nitantur, vt benè Gregorius Lopez [e] aduertit: sicut neque illa, quam ex multorum opinione refert, & sequitur Plaza [f], quæ docet parricidij reũ iudicẽ esse, qui subditũ suæ potestati & imperio hominem, iniustè vltimo supplicio mactauerit, contra apertũ Vlpiani [g] responsum, qui eo in casu pœnam legis Corneliæ de sicarijs committi his verbis scripsit. *Lege Corneliâ, de sicariis tenetur, qui cùm in magistratu est, esset, eorum quid fecerit, contra hominis necem, quod legibus permißum non sit.* Planè si quis in patriam aliquod facinus commisisset, etiam si alia reperiantur supplicia non malè tentare quis posset, parricidij pœnam locum habere, vt post alios, doctissimus Anton. Concius [h] aduertit: nam certè parricidij nomen hanc in rem sæpissimè ab auctoribus vsurpari videmus. Cicero [i] *potest cuiquam esse vile fœdißimũ parricidium patriæ.* L. Flor. [l] cùm de Catilinæ coniuratione loqueretur, *Fuluia vilißimum scortum, sed parricidii innocens.* Salustius [m] de eodem Catilinâ Ciceroni maledicente in senatu, *ad hæc maledicta* (inquit) *alia cùm adderet, obstrepere omnes, hostem atque parricidam vocare.* Quod non immeritò admitti videtur, si enim patria communis nostra est parens, qui patriæ vim & interitum infert, aut in eius perniciem impium aliquod facinus machinatur, quasi qui parentem occidat, parricidij reus iudicari debet. Quinimo potiorẽ esse patriæ, quàm parentum rationem, & alio loco [n] insinuaui, & eleganter Ouid. [o] ostendit, dum ait:

Dulcis amor patriæ ratione valentior omni.

Et Seneca [p], *Præferre patriam liberis regem decet:* Sed neq;

e Greg. Lop. in d. l. 12. part. verb. al fijo. D. Ioan. Vela d. c. 27. n. 5. & Tib. Dec. d. li. 9. c. 9. n. 6.

f Plaza vbi supra nu. 35.

g Vlp. in l. Corneliâ D. de sicar.

h Ant. Conc. ad l. Iul. maiest. li. 1. c. 1. & Tib. Dec. d. c. 5. n. 4.

i Cic. 3. offic.

l Flor. li. 4. c. 1.

m Salust. de coniurat. Catil. & vide alia quæ elegãter ad hoc notat Isaacus. Casaub. ad Lamprid. pag. 350.

n Sup. hoc lib. c. 4

o Ouid. 1. de Pon. eleg. 4.

p Sene. in Troad.

neq; abest Cicer.[q] qui patriam patribus præposuit; dum dixit: *Non nobis solùm nati sumus, sed partim patriæ partim parentibus, &c.* Et alibi[r], *Iustitiam cole & pietatem: quæ cum sit magna in parentibus & propinquis, tum in patriâ maxima est.* Quod satis testati sunt Brutus, Curtius, Decij, Scipiones, Codrus, Thrasibulus, Phileni, & alij, qui vt passim auctores[s] commemorant, mortem pro patriâ alacriter oppetierunt, maluerunt que patriam incolumem propriæ vitæ iacturâ relinquere, quàm superstites cernere laborantẽ, & captiuam intueri. Vnde non absimili modo, licèt ij qui in Principes aliquid moliuntur, maiestatis crimen incurrant, & pœnis huic sceleri constitutis[t] plectantur; adhuc tamen, quia Imperator vel Princeps patriæ pater esse censetur, parricidæ dicuntur. Sueton.[v] de Iulij Cæsaris morte agens. *Curiam in quâ occisus est obstrui placuit, Idusque Martias parricidium nominari.* Valer.[x] de Caio Cassio. *Dignam manum quæ publico parricidio se non contaminaret,* & sæpe alibi, in locis plenâ manu à Brissonio[y] congestis. Quibus ego Senecam[z] addo, qui Augustum, ad Cinnam sibi insidias parasse compertum, ita inducit loquentem. *Vitam tibi Cinna do, priùs hosti, nunc insidiatori ac parricidæ.* Et Lampridium[a], qui in Commodi nece exultasse populum refert, & magnis acclamationibus illum *parricidam Senatus appellasse.* Nimirum; quia vt Cicero ait: *Atrociùs est patriæ parentem quàm suum occidere.* Quâ de causâ, Pilatum, quòd Christum Dominum omnium parentem & seruatorem occiderit, parricidam fuisse, & pœnâ parricidij miraculosè damnatum, nonnulli ex nostris scriptoribus[b] tradiderunt. Eius namq; corpus fuit per terram à duobus bobus perductum

q Cicer. 1. offic.

r Cic. 6. de repub. & in somn. Scip.

s Valer. Max. li. 5. c. 6. & alij relati à Pet. Greg. in præud. li. 2. c. 39 & Villengar. verb. patria.

t L. 1. leg. quisquis cum alijs C. & D. ad l. Iul. maiest.

v Suet. in Iul. c. 38.

x Valer. li. 2.

y Briss. verb. parricidium.

z Sen. li. 1. de Clement. c. 9.

a Lamprid. in Cõmod.

b Mõtal. in tract. de reprob. sent. Pilati. ver. & hæc sufficiunt. Carre. in prax. §. de homicid. vers. 9. quæro n. 11. Plaz. d. ca. 22. n. 23. Tib. Decian. li. 9. crim. c. 5. nu. 7.

ductum, & non secus atque de parricidis fieri, alio loco retulimus, in lacum proiectum. Quamuis alij auctores, quibus hâc in re plus tribuendum existimo, propriâ se illum manu transuerberasse testentur[c], vt sic malorum, in quæ deuenerat, compendium, mortis celeritate quæreret.

Est etiam vt Petrus Aerodius[d] aduertit, aliquod parricidij genus in præceptores sæuire à quibus quis licèt non vitam, vera tamen (vt dicebat Antisthenes[e] & Aristippus) vitæ præsidia, quæ etiam è naufragio possint enatare, censetur accipere. Quinimo quod distat corpus ab animo, eò plus præceptoribus debemus quàm patribus, quare non minori quàm parentes obsequio & amore præceptores colendos, post Platonem[f]. Accursius[g] quoque noster agnouit, & Marcus Mantua[h], qui hinc magistrũ in ius vocari non posse, constanter tuetur. Quis est enim, vt Cicero[i] inquit, *liberaliter educatus, cui non educatores, cui non sui magistri atq; doctores, cui non locus ille mutus, vbi ipse aut doctus, aut altus est, cum gratâ recordatione in mẽte versetur?* Aut quis ignorat, nunquã vel cõmendari satis (vt Annæus Robertus[l] ait) vel meritâ largitione, & dignis præmijs foueri posse præceptores? qui sollicito studio educationẽ & mores adolescentiæ curãt, quiq; iuuentutẽ bonis artibus imbuunt. Quod quantũ conducat ad veram & solidam gloriã, Lycurgus, vt Cæli9[m] refert, catulorũ argumento demõstrabat, quos eisdẽ prognatos parentib9; educationis dissimilitudine diuersis moribus ostendebat: cùm lucernari9 foret vnus, alter venaticus, &, qui generosos spiritus alũt, laboribus innutrit9. Vnde nota est in iure, & ab omnibus hâc solùm de causâ probata, illa Attilij Reguli[n] in

c *Ita scribit Pau. Oros. li. 7. c. 5. Baron. 1. tom. annal. anno Christi* 41. *pag.* 280.

d *Petr. Ærod. li.* 8. *rer. iud. tit.* 6. *ca. fin.*

e *Laert. in eorum vitis.*

f *Plato in Hippia min. vel demenda.*

g *Accur. in l. liberto. 9. de obseq. à liber.*

h M. *Mant. in glosar. part.* 1. *ca.* 92. *Ascan. Clem. de pat. potest. eff.* 3. *nu.* 11.

i *Cicer. pro Plãc.*

l *Ann. Rob. li.* 3. *rer. iud. c.* 3.

m *Cæl. li.* 20. *ca.* 28.

n *L. Attili9 Regulus de donat.*

Nicostratum præceptorem, cuius disciplinâ melior effectus fuerat, remuneratoria donatio: Nec non pium illorum auditorum officium à quibus Sabin[s], vt narrat Pomponius[o], in plurimum sustentabatur. Sed & multa eademque insignia grati animi erga magistros exempla, lato sermone Petrus Greg.[p] recensuit. Et quod ad rem nostram vehementer conducit, Zoilum quòd nedum viuis præceptoribus, sed Homero toti[s] (vt Iust.[q] inquit) virtutis parenti, mille iam antè annos mortuo, indignè detraheret, damnatum parricidij nonnulli testantur: alij à Philadelpho in crucem affixum: quidam, lapides in eum coniectos: aut Smyrnæ viuum in ignem, vt sacrilegum, proiectum esse aiunt[r]. Quæ tamen omnia, eo animo accipi volo, vt grauissimum crimen esse, patriæ, principi, & præceptoribus mortem inferre significent, non tamen vt in his casibus, quicquid supradicta contrarium suadeant, culleo & serpentibus locum esse, defendere videar.

o *Pomp. in l. 2. circa fin. de orig. iur.*

p *Petr. Greg. in prælud. c. 41. & Menoch. quem videntur. 5. cas. fin.*

q *Iustin. in proœmis Digest. § incipite.*

r *Refert Pet. Gregorius vbi sup.*

CAPVT VII.

De filijs fit ad parentes transitus. Horum in filios imperium ex naturâ ipsâ descendere. Romanos potestatem patriam cum vitæ & necis iure in liberos exercuisse. Huius rei multa in bonis auctoribus testimonia: nonnulla etiam in Iurisconsultorum libris vestigia inueniri. Omnia diligenter ob oculos posita. Et Martiano in l. 1. de parricid. cum Cuiac. lux data. An apud alias nationes ius impunè occidendi liberos fuerit? Et qui apud Romanos eo vsi reperiantur. Quo respectu Caius & Iustinianus patriam potestatem proprium ius Romanorum dixerint? vendere olim liberos parentibus licuisset, hodie quatenus liceat.

Paren-

PARENTVM in filios dominationem ex naturæ legibus originem trahere, & ea quæ de illis debitâ reuerentiâ alio loco[a] retulimus, satis ostendunt, & eleganter Plinius Iunior[b] admonuit, dum ait: *Lex naturæ semper in ditione parentum liberos esse iubet.* Nec dissentit Aristot.[c] qui gentium iure, triplex in vnâquâque domo imperium constituit, Dicearchum in seruos, Basilicum in filios, Politicum in vxores. Romani tamen, iam inde à nascentis reipublicæ tẽpore, adeò magnam sibi in liberos potestatem adrogarunt, & tot iuribus, totque priuilegijs munitam, vt patria potestas (vt Iustin.[d] post Caium tradit) propria ciuium Romanorum, neque eo modo apud alios homines vsu recepta, dici potuerit. Quod forsan, vt pleraque alia[e], eâ demum ratione induxerunt Romani, vt ciues ad matrimonia & liberorum procreationem vrgentiùs allicerent; nec enim frustra Seneca[f]; *Parentum* (inquit) *conditionem sacrauimus, quia expediebat liberos tolli, & liberis ciuibus ciuitates replere.* Inter reliqua autem patriæ potestatis iura, quæ singulis prope paginis auctores nostri[g] commemorant, illud maximum erat, vt parentes filios non vendere tantùm, verùm & occidere ad libitum possent. Quod ex antiquissimâ Romuli lege originem traxit, quæ his erat verbis concepta[h]. *Parentum in liberos omne ius esto, relegandi, vendendi, occidendi.* & multis iuris nostri ciuilis testimonijs affatim demonstratur. Sic enim Paulus[i] de liberorum exheredatione pertractans, *Nec mirum est* (inquit) *vt liceat eos exheredare, quos & occidere licebat*, & Papinia.[l] patri tantùm qui filiam in potestate habet, eius in adulterio deprehẽsæ, occidendæ licentiã permittit.

a Supr. hoc lib. c. 2.

b Plin. in Panegy.

c Aris. li. 2. polit.

d Iustin. in §. 1. inst. de patr. pot.

e Multa quæ ob hoc inducta sunt vide apud M. Vertraniũ, & Ferd. Paez de iur. lib. Duaren. 1. disp. c. 40.

f Sen. li. 3. de benefic. c. 10.

g De effect. patr. potest. vide Asc. Clement. in tract. de pat. potest. Pinel. in Rub. C. de bon. mater. 2. p. Forc. dial. 15.

h Referunt hanc l. Baldui. & Pratei⁹ ad ll. Rom. c. 17. & omnes in princ. de patr. potest.

i Paul. in l. suis 11. in fin. de lib. & potest.

l Papin. in l. patr. 20. de adult.

Et Constant. Imp. [m] *Libertati ait tantum à maioribus impensum fuerat, vt patribus quibus ius vitæ in liberos necisq; potestas erat permissa, libertatem eripere non liceret*. Sed neque abest Martianus [n], qui cùm legis Pompeiæ de parricidijs capita recenseret; eâ teneri matrem & maternum auum qui liberos occidissent, expressit, patris verò altum fecit silentium: eâ nimirum causâ, vt ante nos eruditè Cuiac. [o] aduertit, quia cùm mater, & per maternam lineam ascendentes personæ, liberos in potestate non habeant [p], non æquè vt pater, liberos impunè occidere poterant. Extat quoq; Epigramma quoddam hanc eamdem potestatem ostendens apud Petronium [q] in hæc verba.

Et pater es dictus patriæ dignissime Iuli.
Quique tibi vitam abstulit est quoque dictus
Ipse pater patriæ, Dic Phœbus adhæreat vtri?
Vtrique: hic patris est vitam dare, Patris & hoc est
Romani, siquam potuit dare, demere vitam
Posse etiam natis: vitam dedit alter, at alter
Vitam adimat, patriæ pater est sic dictus vterque!

Nec desunt parentum exempla, qui hâc sibi concessâ facultate vsi perhibeantur. Nam vt Iunium Brutum, Auidium Cassium, Manlium Torquatum, & Posthumium Tiburtium prætercam, quorum iam alio loco [r] meminimus. Aulus Fuluius Senatorij ordinis vir euntem in aciem filium retraxisse, à Salustio [s] & alijs narratur, iuuenemque & ingenio & litteris & formâ inter æquales nitentem, prauo consilio amicitiam Catilinæ sequutum, inque castra eius temerario impetu ruentem, supplicio mortis affecisse: præfatus, non se Catilinæ illum aduersus patriam, sed patriæ aduersus Catilinam genuisse. Quin etiam citra causam Reipubli-

m Const. in l. fin. C. de patr. potest.
n Marci. in l. 1. ad l. Pomp.
o Cuiac. li. 5. obseruat. c. 17. quod non intellexit Prateius sup. tradit idē Cuiac. in op. post. ad tit. C. de patr. potest.
p §. fin. Instit. de pat. potest. l. nulla fœmina D. de suis & legit.
q Petron. in Epigram. post satyr. excusis.
r Supr. hoc lib. c.
s Salust. in Catil. Dionysius li. 37. Valer. li. 5. c. 8.

publicæ ob solius pudicitiæ respectum, refert Pomponius[t] Virginiũ Virginiam insontem filiam occidisse. Et Titus Liui⁹[v] P. Horatiũ, eius Horatij patrem, qui superatis Curiatijs, sororem occiderat, ita ad populum inducit loquentem, *se filiam iure cæsam iudicare: ni ita esset patrio iure in filium animaduersurum.* Ni mirum quia hoc priscis Romanis iure potestatis licebat, & de liberis vt Budæus[x] ait, etiam capitaliter citra iudicium statuere poterant. Id quod ex Cicerone[y] quoque intelligere possumus: qui de Clodio loquens, qui se in adoptionem plebeio homini dederat, cùm ex patriciorũ genere esset: ita inquit: *Credo enim quanquam in illâ adoptione legitimè factum est nihil, tamen te esse interrogatum, auctor ne esses vt in te P. Fonteius vitæ, necisque potestatem haberet vt in filio?* Hæc namq; concepta esse, & solemnia adrogationis verba, ex Agellio[z] & Alex. ab Alex. didicimus. Sed neque Romanis duntaxat, verùm alijs quoque nationibus, hanc filiorum occidendorum licentiam fuisse communem, vel ex eo colligimus, quòd Aegyptij leuissimam in filiorum occisores, vt Diodorus[a] refert, animaduersionem constituebant. Et Persæ crudelem in filios & in seruos dominationem exercuisse, paternâque potestate abuti soliti memorantur[b]. Apud Gallos item, vt Cæsar[c] testatur, viri, non in liberos tantùm, sed & in vxores vitæ & necis potestatem habebant. Quod & apud Israelitas, & alios adiacentes populos valuisse, ex Abrahami exemplo ita liberè filium Isaacum morti deuouere audentis, & Iephte qui à bello rediens filiam sibi primo oblatam in victimam obtulit, nec non ex alijs sacræ historiæ argumentis latè probare contendit Pet. Greg.[d] inde Iusti-

t Pomp. in l. 2. §. initium. de orig. iur.

v T. Liu. li. 1.

x Budæus in l. 2. D. de sicar. in anot. posterior.

y Cic. in orat. pro domo sua.

z Agell. li. 5. noct. Atti. c. 19. Alex. li. 2. genial. c. 8.

a Diod. li. 2.

b Cæl. Rhod. li. 11. lect. ant. c. 17. ad med. ex Arist. qui eorũ imperiũ Tyrannidẽ nominat li. 8. Eth. c. 10.

c Cæsar de bello Gall. li. 7.

d Petr. Greg. in prælud. li. 5. c. 7. & li. 11. syntag. c. 5.

Iustinianum [e] reprehendens, quòd nullos alios homines talem qualem Romani potestatem habere in liberos dixerit, in quem etiam eadem ratione Francisc. Connan. [f] inuehitur, non satis animaduertentes Imperatorem alijs gentibus potestatem in liberos non negare, nec enim poterat, cùm vt initio huius capitis diximus, ex iuris naturalis fontibus manet. Sed eam tantùm quæ Romanis est, tot scilicèt iuribus, tót effectibus præditam, nullos alios homines agnouisse, testari. Quod multi ex nostris scriptoribus [g] rectè percepisse videntur, & Dionysius Halycarn. [h] luculenter explicuit, adeò latam patriã potestatem apud Romanos fuisse, recensens: vt dominicam superaret. Nam siue necare, siue verberare, siue rustico opere damnare innocentem, inauditum, & indefensum filium pater vellet, ei libera erat facultas, nec non & vsque ad tertiam auctioné vendendi, vt si semel nundinatus à patre filius, ab hero clementiore manumissus fuisset, iterum genitoris venalitium, vt ante, mancipium fieret, nec nisi post tertiam auctionem ab eâ truculentiâ tutus esset. Quæ tamen vendendi filios facultas posterioribus Iurisconsultorum & Imperatorum temporibus (vt hoc obiter animaduertamus) non videtur itidem valuisse [i], quinimo nedum vendere, verùm & pignori accipere, sub deportationis pœnâ, vt Paulus [l] scribit vetitum erat (quamuis Tribonianus sub eiusdem Pauli [m] nomine relegationis tantùm, vt aduertit Cuiacius [n] meminerit.) Nisi fortè pater in id inopiæ & paupertatis deuenisset, vt non nisi ex filij filiæve venditione sibi victum quærere posset; tunc enim ei filium vendere, & multo magis (quicquid contrarium Accur-

e *Iust. in d. §. 1. de patr. potest.*

f *Connan. li. 2. cõmem. c. 13.*

g *Pinel. in Rub. C. de bon. 2. p. nu. 17. Vacon. 1. declarat. c. 8. & 3. c. 50. Forca. dial. 15. & omnes post glos. d. §. 1.*

h *Dionys. li. 2.*

i *L. miner. 39. §. pater. de euictio. l. 1. C. de patr. qui fil. l. fin. C. d patr. potest. Mercer. li. 1. opin. c. 9.*

l *Paul. li. 5. sent. tit. 1.*

m *Idem Paul. in l. fin. D. quæ res pigno.*

n *Cuiac. ad Paul. d. tt. facit l. qui filios C. quæ res pig. l. obest, & auth. imo C. de obl. & action. l. 8. in fin. li. 3. fori. l. 3. tit. 13. p. 5. & vide Balduin. ad leg. Rom. c. 17.*

Accur.[o] somniet) pignori dare, Constantini Imperatoris sanctio[p] his verbis concepta permittit. *Si quis propter nimiam paupertatem, egestatemque, victus causâ filium, filiámve sanguinolentus vendiderit, venditione in hoc tantummodo casu valente, emptor obtinendi eius seruitii habeat facultatem, &c.* Quo tamen in loco vulgata lectio mendosa videtur, & verbum, *sanguinolentus*, non ad patrem, sed plurali numero *sanguinolētos*, ad filios referendū, & recens natos, adhucq; sanguine materno madentes interpretandum, vt iā pridē multi magni nominis viri[q] animaduerterunt. Neq; mirū si famis & necessitatis ratione, hoc parētib⁹ permiserint iura, nā id à paternâ pietate nequaquam alienū videtur; cùm satiùs sit eo modo patrē sibi simul & filio prospicere, quā vtrumq; maximo famis dolore, quē Menander miserrimū vocat, perire. Vnde Nehemiæ quinto capite populus fame oppressus, sic inquit: *Filii nostri, & filiæ nostræ multæ sunt nimis, accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus & viuamus.* Et Eusebius[r] refert, tempore Maximiani Imp. multos parentes filios suos vendidisse. Et Erisichthon postquam integrum patrimonium luxuriosè profudit, tandem & filiam, vt fami succurreret vēdidit, vt tradit Ouid.[s] his verbis.

- - - - - - Et tandem demisso in viscera censu
Filia restabat, non isto digna parente,
Hanc quoque vendit inops.

Extat etiā (vt alia quæ in hanc rem ex Tiraq.[t] Ascanius Clementinus accepit, silentio prætercam) facetissimum apud Aristophanem[v] de Megarensi quodam exemplum, qui optionem filiabus dabat, vellent ne vendi, an potiùs domi fame perire, Græcè quidem sed in hunc sensum.

o *Accurs. in l. 2. C. de pact. qui fil. distrax. quē seq. Ias. in l. in suis n. 28. sed reijciūt cæteri, vt cōstat ex Pinel. in 2. p. Ru. C. de bon. Mat. n. 25. Cuia. sup. Molin. li. 4. d primogen. c. 5. n. 13. Couarrub. 3. var. c. 14 nu. 4.*

p *L. 2. C. de patrib⁹ qui fil. distrax. l. 8. & 9. tit. 17. p. 4.*

q *Pinel. & Couar rub. sup. Alc. li. 1. de verb. sig. Cuia. in parat. C. de inf. expos. & his qui sanguinolētos nutriēdos acceperūt Gilbert. Rheg. i. 1. Enātioph. c. 21. P. Fab. 1. sem. c. 6*

r *Euseb. li. 9. Histor. Eccl. c. 8.*

s *Ouid. 8. metam.*

t *Tiraq. li. 1. de re tr. §. 26. gl. 1. nu. 14. Ascan. Clem. d pat. potest. effec. 1. n. 2. Piso. Soac. in §. 1. inst. de pat. potest.*

v *Aristo. in Acar.*

Verum ô improbæ puellæ miseri patris
Ascendite ad cibum, si quid inueneritis alicubi
Audite sanè, conuertite ad vos ventrem,
Vtrùm vendi mauultis, an esurire malè?
Puell. *Vendi, vendi.*

CAPVT VIII.

Ius occidendi filios olim parentibus datum, posterioribus legibus ademtũ, nec nisi modicam coërctionem, aut exheredationis remedium illis relictum. His supplicijs parentes erga filios contentos esse debere, Senecæ, Ambros. Saluian. & aliorum verbis ostensum Traianum filium quẽ pater seuerè nimis tractabat à patris manu liberasse. id iure factum, vt Papin. refert. Cuius verba cùm Hotoman. & Petr. Fab. emendantur, quãuis Cuiacius emendationẽ non probet. Patrem filium sibi reluctantem iudicibus offerre debere. Multis hoc iuribus comprobatur. Sed præcipuè Vlpian. responso in l. 2. de siccarijs. De cuius interpretatione latißimè agitur. Neminem indictâ causâ damnari.

QVEMADMODVM vendendi, ita & occidendi filios potestas, nouioribus legib⁹ angustata videtur. Vnde quæ de hâc re tractant Iurisconsultorum & Imperatorum responsa, præteriti dumtaxat temporis meminerunt. Nam cùm patria potestas, vt Marcian.[a] ait, *in pietate debeat non in atrocitate consistere*, & ex Antonini constitutione, neque in proprios seruos sæuire vltra modũ licuerit[b], iustissimè immanis illa barbaries in parentibus etiã coërcita fuit. Quam ob rem sicuti emendare pater filiũ iure patriæ potestatis non prohibetur[c], sic atrociter in eum animaduertere iura[d] non patiuntur. Nã vt ait Saluianus[e]: *Pro magno peccato paulum supplicii satis*

a *Marcia. in l. Diuus ad l. Pomp. de parric.*
b *L. 1 cum seq. de his qui sunt sui §. 1. inst. eod. tradit Alex. ab Alex. 3. gen. cap. 20.*
c *L. 3. C. de patr. potest. l. vni. C. de emend. propinq. l. 8. & 9. tt. 8. p. 6. cum latè adductis à Pet. Fab. 3. semestr. c. 16. Menoch. de arb. casu. 364.*
d *L. 3. & 4. C. de patr. potest.*
e *Saluian. lib. 3. ad Eccl. cath. pag. 387. & in epist. ad Hypat. pagina 301.*

tis est patri, & nihil de vltione perdit filio ignoscens, quia felicius multo est & laudabilius, suis aliquem etiam immeritò ignoscere, quàm in suos etiam meritò vindicari, & Plinio[f] teste, *Tunc præcipua est mansuetudinis laus, cùm iræ causa iustissima est*. Debetq; naturalis pater in irrogandis supplicijs cœlestem imitari, qui vt Tertul. ait[g]: *Cùm prouoluit hominem magis releuat; cùm accusat, excusat: cùm condemnat, absoluit*. Inde est vt neq; abdicatio quæ Græco more ad alienādos liberos vsurpabatur, & ἀποκήρυξις dicebatur, Romanis legibus (vt Dioclet.[h] statuit) comprobaretur: neque patri præter modicam castigationem, alius læsæ pietatis vindex, quàm exheredatio, superesset. Vnde D. Ambrosius[i] *Vsu humano* (inquit) *hereditatis pecuniariæ gratia facit, vt venerabiliora fiant iura pietatis. Quia hoc quoque plus defertur parentibus; ne læsa pietas patris vlciscatur se exheredatione contumacis pignoris*, & Quintilianus[l]: *Fulmen istud patrum aduersus ferociam adolescentiæ datum est, aduersus filios qui peccare plus possunt*. Quo ex fonte iam planè percipimus, cur in Papiniani responso[m] ex Traiani rescripto coactus fuerit pater filium emancipare, quem malè contra pietatem afficiebat, & omnino à filij bonis exclusus ex Neratij Prisci & Aristonis consilio, propter soluendæ pietatis necessitatem: quippè quia licèt nemo filium emancipare compelli soleat[n], qui tamen malè vtitur iure potestatis in filium sibi concesso, eo beneficio se prorsus reddit indignum[o], & quemadmodum dominus, qui nimis in seruum excandet, vel ancillæ pudori non parcit, cogitur illum, illámve bonis conditionibus vendere. *Expedit enim*, (vt Iustinianus ait)[p] *ne re suâ quis malè vtatur: ita & pater filium, in*

f Plin. li. 9. epist. 21.

g Tertul. li. de pœnit.

h Diocl. in l. abdicatio C. de pat. potest.

i D. Ambr. li. 5. epist. 28.

l Quintil. decla. 259.

m Papin. in l. fin. si apparent quis fuer. man.

n L. neq; au9 C. de eman. li.

o Cap. vt priuilegia. 24. de priuil.

p Dict. §. 1. de his qui sunt sui. l. si Lenones. C. de ep. aud.

quem tyrannidem potiùs quàm poteſtatem exercet, cùm vendere non poſsit, manumittere omnino rectiſsimè cogitur. Filij namque cuſtos potiùs debet eſſe quàm carnifex, vt Seneca[q] oſtendit, dũ inquit: *Et quit vtile eſt iuuentuti regi, impoſuimus illis domeſticos magiſtratus ſub quorum cuſtodia contineantur.* Sed & tradit in hanc rem alia eruditiſsimus Petrus Faber[r], qui in ſupradicto Papiniani loco, poſteriora verba mendoſa eſſe exiſtimat, & ex notarum ſimilitudine, & eiuſdem nominis repetitione deceptum librarium *ſoluendæ pietatis*, ſcripſiſſe, vbi *poteſtatis* ſcribere debuerat. Quam emendationem ſibi etiam arrogat Hotomãnus[s]; Cuiacius autem multis in locis[t], communem lectionem retinendam eſſe contendit; eò quod poteſtas patria leuiori vocabulo pietas interdum dicatur, & vt Tertull.[v] ſcribit, *Gratiùs ſit vocabulum pietatis quàm poteſtatis.* Sed mihi Fabri & Hotomanni coniectura non diſplicet, nam non ita aptè ſolui pietas dicitur, vt poteſtas[x] quin potiùs pietas cum naturaliter debeatur, nullo iuris ciuilis figmento, nulla emancipationis ſolemnitate tolli potuit aut ſolui[y]. Rurſus ex eiſdem etiã principijs cognoſcimus quânam ratione pater, vbi filius contumax & proteruus perſiſteret, nec paternâ admonitione ad debitum obſequium, & pietatis officium adduci potuerit, in illum duriùs animaduertendi facultatem non habeat, ſed præfecto vrbi vel præſidi puniendum ex Alexandri, & Valeriani Impp. ſanctionibus[z] offerre teneãtur. Quod & vetuſtâ Moſis lege[a], quam optimè Ioſephus[b] explicat, cautum inuenimus, & Iuriſconſultorum tempore etiam obſeruatum videtur, Nam Macer.[c] refert, patrem

q *Sen. li. 3. de beneſ. c. 11.*
r *Pe. Fab. vbi ſup.*
s *Hot. in §. ſed & maior. Inſt. de his qui ſunt ſui enũ. 2*
t *Cuia. in l. quidã cum filium 132. de verbor. & in oper. poſthu. ad Papin. in d. l. fin. & in not. ſolem. ad eamdẽ & in not. ad d. l. diu⁹.*
v *Tertull. in apolog. c. 34.*
x *Tit. inſt. quib⁹ modis ius poteſt. ſoluitur.*
y *§. minus ergo, inſt. de hered. quæ ab inteſt. l. eas 8. de cap. dim.*
z *L. 3. & 4. C. de pact. poſt l. vn. C. de emen. prop.*
a *Deuter. c. 21. in fin.*
b *Ioſep. li. 4. Iud. antiq. c. 8.*
c *Macer. in l. mil. agrum §. deſertorem de re mil. ex quo notãt interp. filiũ delinquẽtem à patre oblatum, mitiùs puniendũ. vide Tiraq. de pœn. temp. cau. 8. & Pinel. 2. p. Rub. C. de bon. n. 32. quãuis hoc nõ admittat Mẽdoz. li. 1. de pact. c. 1. n. 23. Sed cõtr. pbat Dec. 2. crim. li. 9. c. 6. nu. 4.*

patrem quendam, desertorem filium puniendum iudicibus obtulisse, quem D. Pius in duriorem militiam dari iussit. Et Vlpianus [d] tradit, quod si filius patrem & matrem quos venerari oportet, contumelijs afficit, vel impias manus eis infert, præfectus vrbi delictum ad publicam pietatem pertinens, pro modo eius vindicare debebit. Id enim in filijs vt in seruis obseruari solere, ex varijs iuris nostri locis colligimus [e]. Et ex eo præcipuè, quod dissertis verbis scribit Vlpianus [f] *Inauditum filium patrem occidere non posse, sed accusare eum apud præfectum præsidem ve prouinciæ debere*. Vbi tamen Accurs. ridiculas admodùm illius verbi *inauditum* comminiscitur expositiones, inter quas, ea, & interpretibus cæteris communiter placet [g], & verò proprius videtur accedere, quæ verbum illud, pro non accusato sumit, proque eo cuius auditæ priùs defensiones non fuerint, quem Græci ἄκριτον vocant. In quo sensu Cuiac. [h] etiam semel & iterum Vlpianum accepit, in eius confirmationem Tacitum [i] laudans, dum simili loquendi genere *inaudito* inquit, *filium exitium offerre*. Voluerunt quippè iura nouiora, etiam in filio à patre occidendo, legem illam antiquam duodecim tabularum seruari, quæ neminem inauditum & indemnatum, incognitâ, inditâque causâ occidi iubebat: Ad quam respiciens Saluianus Massilien. Episc. [l] *Interfici* (inquit) *idem damnatum quemcumq; hominem etiam duodeim tabularum decreta vetuerunt*. Et Diuus Augustinus [m] *Vos appello leges iudicesq; Romani, nempe post patrata facinora nec quemquam scelestum indemnatũ voluistis occidi.* vnde Cicero [n] inter cætera quæ Verri obijcit crimina. *Honestißimi*, ait, *atque integerrimi absentes rei facti, inditâ causâ damnati, & eiecti*. Et Quintus

d *Vlp. l. 1. de obse quis.*

e *L. elegãter 24. §. fin. de pign. act. l. nec quicquã 9. §. de plano de off. procons. l. 1. §. cũ patronus de off. præf. vrb.*

f *Vlp. in l. 2. ad l. Cornel. de siccar.*

g *Bartol. Angel. Hippol. & Budæ' ibi, Pinel. d. 2. p. Rub. C. de bon. n. 18. Bris. & Prat. verb. inauditum.*

h *Cuiac. li. 4. obs. c. 12. & 6. c. 17. & in op. postul. de patr. potest.*

i *Tacit. 4. annal.*

l *Saluia. li. 8. de iud. & prou. Dei.*

m *Aug. 1. de ciuit. Dei.*

n *Cicer. act. 2. in Verrem, vide alia in hanc rem latè cõgesta à Simãc. in cath. inst. tt. 2.*

tus Curtius [o] de Callisthene loquēs, nullius cædem maiorem Alexandro inuidiā excitasse scribit, *Quàm quòd virum optimis moribus, artibusque præditum, non tantùm occiderit, sed etiam torserit indictâ quidem causâ.* Et Symmachus [p] ad Theodosium & Arcadiū scribens. *Quæso igitur* (inquit) *ne in contumeliam iudicij vestri & iuri, & innocentiæ fraus paretur: quādo enim absentibus atque ignorantibus inter alios gesta nocuerunt? Quis vnquam sententiam numinis vestri inauditus excepit?* Quamuis Cicer. [p] Dictatori hoc concessum recenseat, *Vt quem vellet ciuium indictâ causâ impunè posset occidere.* Sed verò licèt hæc, his auctoribus placeant, mihi tamen probari non possunt: nam iuxta ea non malè quis dixerit, auditum & damnatum filium à patre interfici posse, quod Vlpianus à contrario innuit, & superiore interpretatione retentâ Budæus [q] & Corrasius admittunt. Id autem quàm iuris principijs repugnet, manifestum est: Nā posteriores leges semper ius potestatis minuerunt, & patribus non occidendi filios duntaxat, verùm, & in eorum causis cognoscendi, & iudicandi facultatem denegarunt. [r] Quam ob rem licèt non inficier, verbum *inauditum* pro eo plerumque sumi, qui auditus & defensus non sit: vnde Marcian. [s] *Nec enim*, inquit, *inauditâ causâ quem damnari, æquitatis ratio patitur*, & Seneca. [t]

Qui statuit aliquid parte inauditâ alterâ
Æquum licèt statuerit, haud æquus est.

Aptiùs tamen, & ad Vlpiani mentem accommodatiùs existimo *inauditum* non audientem, & paternis præceptis non obsequentem & obtemperantem exponere. Nam & Nonius Marcellus [v] *inauditum* (inquit) *quòd non audiat in veteribus prudentibus lectum est.*

o *Quint. Cur. li.* 8

p *Symmach. lib.* 20. *epist.* 47.

p *Cic.* 1. *de legib.*

q *Bud. sup. Corras. in l. filium quem. nu.* 80. *C. fam. ercis.*

r *L. qui iurisdictioni D. de iurisdict. omn. iud. vi de Tiber. Decian. lib.* 9. *crim. ca.* 8. *n.* 10.

s *Marcia. in. l.* 1. *D. de req. reis.*

t *Sen. in Medea.*

v *Non. de verb. signif. pag. mihi* 128.

est. Et Græci Auctores [x] eumpse textus interpretantes, inauditum scripserunt significare *inobedientem siue contumacem*, quem pater sibi non parentem non potest, vt olim, occidere, sed iudicibus puniendum offerre tenetur. Quam expositionem licèt Iacobus Cuiacius [y] non probet, mihi tamen Vlpiani mens, & Eduardi Caldeiræ [z], qui eam sequitur, auctoritas, facili negotio suadet. Quod cùm non assequeretur Stephanus Forcat. [a] & communi interpretationi ex superioribus argumentis acquiescere non posset, ineptè admodùm tertiam Accursij expositionem amplectitur, & inauditum explicat, *pro impio, quiq; aliquid inauditum commisit*, iurium quorundam [b] minimè id probantium argumento permotus.

x *Lib.60.Basil. tit.39.*

y *d.lib.6.obs.ca.17.*

z *Caldeira.lib.3. variar. lect.c.3.*

a *Steph.Forcatu. dial.81.*

b *L.cælicolarum. C. de hæret. l.4. C.de apostat.*

CAPVT IX.

Ademiâ parentibus occidendi filios licentiâ, statim pœnas occisoribus irrogatas. Hoc iure, meritòq; & quodammodo in ipsorũ parentum gratiam inductum. Ne ad exheredationem quidẽ patrem sine magnâ causâ accedere debere Ciceron. & Senecæ elegantissimis verbis ostensum. Erixonem equitem Romanum, & Quintum Fabium Seruilianum ob filiorum cædes iã olim damnatos fuisse. Martiani sententia de patre qui filium in venatione necauit, multis doctorum interpretationibus obscurata magis quàm exposita, latè explicatur, & nouo ac vero sensu donatur.

ERGO licèt olim de filio, vt de re sua, [a] etiam abutendo, pater disponere posset, & illum concessæ sibi potestatis iure impunè interficere, posteà tamen hoc crimen, restricto nimio parentum in filios imperio

a *L.1.§.per hanc de rei vind.l. verbis legis 120. de verb.sig. iuncta. l.sed si lege.§.consuluit de pet. hered.*

imperio & dominatione, non omnino inultum relinqui debere, prudentissimi Romanæ reipublicæ legislatores animaduerterunt. Idq; in ipsorũ quodammodò parentum gratiam, qui cùm semper pro salute filiorum consilium optimum capiant [b], & magis illorum, quàm proprijs doloribus afficiantur [c], non facilè, impunitatis spe, ad necem filiorum cuiuslibet iræ, dicam ne an furoris causâ, prorumpere debuerunt. Nam cùm *nunquam* (vt Quint. [d] ait) *leuiter excãdescant patres*, cohibenda fuit illorum facultas, ne temerè grauiter & asperè in filios sæuirent, quos posteà interfectos anxiè dolerent. *Certè* (inquit Saluian. [e]) *etiam si iustas succensendi causas parentes habeant, nihil contingere eis feliciùs, nihil optatiùs potest quam vt sic eis pro reatu filii satisfaciant, ne necesse habeat vindicare*, Et Sen. [f] *Fili* (ait) *nonne sæpe excãdui, sæpe recociliatus sum, sæpe quod negauerã dedi?* Quod si exheredationis potestas nõnisi ex magnâ causâ parẽtibus data fuit ac concessa, & omnia tentare pater debet, antequàm ad vltimum illud remedium accedat, quia vt ait Seneca [g]: *Nunquid aliquis sanus filium, à primâ offensâ exheredat? Nisi magnæ & multæ iniuriæ pœnitentiam euicerint, nisi plus est quod timet, quàm quod damnat, non accedit ad decretorium stylum: Multa ante tentat quibus dubiam indolem & peiore loco iam positam reuocet: simul deplorata est, vltima experitur.* Et Cic. [h] *Magna oportet esse vitia atque peccata filii, quibus incensus parens potuerit animum inducere, vt naturam ipsam vinceret, vt amorem illum penitus insitum eiiceret ex animo, vt denique patrem esse sese obliuisceretur.* Meritò interficiendi filij facultas omnino prohiberi debuit, & filicidium (vt ita loquar) seuerissimè vindicari: Vnde Seneca [i] refert Erixonem quemdam equitem Romanum

b L. fin. C. de curat. furios.

c l. isti quidem de eo quod met. caus.

d Quintil. decla. 374.

e Saluia. in epist. ad Hypatium & quietã, pag. 298.

f Sen. li. 2. contr. 3.

g Sen. li. 1. de clemen. ca. 14.

h Cicer. pro Ros. Amer.

i Senec. libr. 1. de clemen. c. 14.

manum in foro graphis à populo confossum fuisse, quia filium flagellis occiderat. Et Paulus Orosius[l] scribit de Q. Fabio Maximo Seruiliano (nam verisimile est hunc fuisse, de quo & Valerius[m]) die dictâ, Gneoque Pomp. accusante, Romæ damnatum fuisse parricidij, quòd filium adolescentem, quem anteà rus, causâ impudicitiæ, relegauerat, interfecisset. Et D. Adrianus vt à Marciano[n] nominatim proditum est, *patrem in insulam deportauit, qui filium suum, qui nouercam adulterabat, in venatione necauerat: quòd latronis magis quàm patris iure eum interfecisset.* Quò tamen in loco est quòd parumper subsistamus, & diligenti inquisitione, verum Marciani sensum perscrutemur. Nam interpretes vix est, vt illum percipere queant, dum dubitant, quid esse in causâ potuerit, cur eo tempore, quo iam erat sublata filios occidendi licentia, pater qui filium necauit, non parricidij sed leuiori deportationis pœnâ dãnetur? Et sunt qui putent[o], patrem in flagranti adulterij crimine deprehendisse filium, & occidisse, atque ideò mitiori pœnâ punitum, aliquid enim tam iusto dolori condonari debuit[p]. Alij quibus verisimile non est, filium in ipsâ venatione nouercã adulterasse, delictum quidem hoc anteà commissum fatentur[q], ideò autem leuiori pœnâ affici patrem, quòd in eum filius iustã exheredationis causam perpetrasset. Vnde regulam generalem multi conficiunt[r], vt quotiescumque pater filio, vel filius patri, ita ingratus extiterit, vt possit secundùm præfinitam legibus formam exheredari[s], possit quoq; citra ordinariam parricidij pœnam interfici. Alij verò patriæ potestatis qualem qualem contemplationem & præteritæ iniuriæ dolorem Adrianum ad

l *Paul. Oros. lib. cap. refert, Pet. Ærod. li. 8. decr. tit. 6. ca. 13.*

m *Valer. li. 6. c. 1.*

n *Marc. in l. Diuus ſ. D. ad l. Põpeiam de parric.*

o Paul. *de Castr. in l. in suis nu. 4. de liber. & post. Hip. in d. l. diu9.*

p *L. Grach. C. ad leg. Iul. de adult.*

q *Glo. & Bart. & Alb. ibi* Pet. *Cerar. sing. 2. Tiber. Decia li. 9 crim. c. 8. n. 11.*

r *Ias. in leg. ius ciuile, nu. 28. de iust. & iur. Mãt. sing. 155. & alij relati à Menoch. casu 356. & Carrer. in prax. fol. mihi 220. Tiber. Dec. sup. c. 15. n. 26.*

s *Auth. vt cum de appell. §. aliud quoq; c. coll. 8.*

T dimi-

diminuendum supplicium mouisse aiunt[t], cùm in patre eo casu non tam castigatio & animaduersio filij, quàm excessus puniatur. Quæ tamen omnes interpretationes, mihi parum ad Marciani mẽtem accedere, & redditis ab eo rationibus conuenire videntur: Nam cùm dicat ideò deportatione damnatum patrem, quòd filium in venatione latronis magis quàm patris iure interfecerit, insinuat quodammodo, etiam tunc necem iure patrio irrogatam, nullo supplicio vindicari. Quare his relictis, & damnatâ etiã Forcatuli[v] sententiâ, perperam existimantis, limitato patriæ potestatis iure, in duobus adhuc casibus patri liberorum necem permissam, nempe si filiam in adulterio deprehenderit[x], vel si nouercam à filio adulteratam sciat, & illum iure patris occiderit: in Marciani autem responso ideò à D. Adriano in insulam deportatum, quòd magis id latronis quàm patris animo fecerit. Ego præter omniũ mentem existimo doctores monstrũ sibi confinxisse, quod superare nunquam potuerũt, dum sibi persuadent, mitiùs quàm oportuisset, patrem ab Adriano fuisse punitum, non satis animaduertentes, vltra filios qui matrem, patrem, auum, auiam, & alios ex ascendentibus occidissent, reliquos, qui sibi deorsùm, aut transuersum coniunctas personas necassent, licèt parricidiũ committere dicerentur, non tamen cullei pœnâ, sed eâ quæ fuit legis Corneliæ de siccarijs coërceri, vt expressè Marcian.[y] ostendit, dum ait: *Vt pœnâ eâ teneantur, quæ est legis Corneliæ de siccariis*, Et expressiùs Modestinus[z], qui postquàm more maiorum parentum interfectores culleo & serpentium cõtubernijs puniri dixerat, ita subdit. *Qui alias personas occiderint præter*

t *Ant. Gom. in l. 80. Taur. n. 59. vers. vel aliter & tertio.*

v *Stepha. Forcat. dial. 81. n. fin.*

x *L. nec in ea de adult.*

y *Marcia. in l. 1. de parric.*

z *Modest. in l. pœn. 9. vers. qui alias, de parric.*

ter patrem, & matrem, & auum, & auiam, quos more maiorum puniri supra diximus, capitis pœnâ plectantur, aut vltimo supplicio mactentur. Quod cùm ita sit, & legis Corneliæ de siccarijs pœna in honestioribus deportatio in insulam fuerit, vt Marcianus testatur [a], iã satis liquidò cõstat, Diuum Adrianum ordinariam & communem homicidij pœnam, & capitale supplicium, quod aquæ & ignis interdictionem siue deportationem significat [b], irrogasse: nullo patriæ potestatis respectu habito, quæ magis debuit in pietate, quàm in atrocitate consistere; nullâ etiam adulterij, cum nouercâ à filio commissi, contemplatione, cùm pater non solemni modo, & accusato corã iudicibus filio (quod fieri debuisse supra retulimus) hanc fuerit vltus iniuriam, sed latronis more, clanculum in venatione, & per insidias filium necauerit. Præsertim cùm neque in ipso adulterij crimine deprehensum occidere posset, quippè quia filius ex illis personis non esset, quæ lege Iuliâ de adulterijs impunè à marito occidi permittebantur, vt & Macer.[c] ostendit, & nominatim doctissimus Iacob. Cuiac.[d] obseruat. Neque mirum si Adrianus inultum hoc patris facinus relinquere noluerit, qui Lampridio [e] teste, nedum filios à patribus, verùm & seruos à dominis occidi vetuit, eosque iussit per iudices omnino damnari. Quibus accedit, malitiam patris & insidias non posse impunitas relinqui.

Nam, vt inquit eleganter Rufinus in Symbolo [f]. *Occidere hominem non semper criminosum, sed malitiâ occidere in legibus criminosum.*

(?)

a *Marcia. l. 3. §. legis D. ad l. Cor. de siccar. l. qui cædem eod. tit.*

b *L. 2. ɖ pub. iud. l. edicto §. rei capitalis de bon. poss. l. 2. §. capitalium de pœn. cũ notatis à Ræu. li. 3. var. c. 19. & li. 4. c. 6. Pet. Fab. li. 2. semestr. c. 12.*

c Macer. *in l. marito 24. ad l. Iul. de adul.*

d *Cuia. li. 6, obser. c. 17. in fin.*

e *Lãpri. in Adriano facit l. seruos 5. de accus. l. 2. de his qui sunt sui.*

f *Rufin. in Symb.*

CAPVT X.

Constantinianâ primùm sanctione cullei pœnam, quæ olim in liberos, in parentes etiam liberorum interfectores porrectam. Grauißimum esse delictum filios occidere. De filiorum amore plura. Eorum vitam parentibus propriâ chariorem. Eis omnia ex voto parari. Participes filij cur Terentio dicantur? Pro salute filiorum religiosè iuratum. Vt superstites parentibus essent, & eorum oculos clauderent frequenter vota concipi. Hinc superstitiosi nomen. De more operiendi oculos mortuorum obiter nonnulla. Dolorem parentum in filiorum obitu, & pro eorum salute sollicitudinem Epitaphijs, & animalium exemplis ostensum. Plato qualiter, qualiter Ægyptij filiorum occissores punierint? Nullum maius tormentum inueniri quàm filios in parentum conspectu necare.

MAXIMVM itaque parentum vitæ & necis in liberos ius ademtum constitutionibus fuisse, satis ni fallor ex superioribus cõstat. Sed vsq; ad Cõstantini tempora filiorum cædes, ordinariâ homicidij nõ peculiari & exraordinariâ cullei & serpentium pœnâ vindicabatur. Primus ergo Constantinus [a], & post eum alij Impp. [b] & Principes, parricidij nomen & supplicium more maiorum descendentibus dumtaxat irrogatum, in ascendentibus qui suam prolem morti dedissent æquâ lance obseruari sanxerũt. Idq; iure sanè optimo, cùm non minor parentum in filios amor & charitas, quàm filiorum in parentes pietas esse debeat: sed maior potiùs, quo magis naturâ ipsâ, vt Arist. tradit, patres in filiorum amorem, tanquàm in actionem, & finem sui, totis animis deuehuntur. Quâ de re cùm grauiter & eleganter Apollonius apud Philostratum [d] differat, & Tiraquel-

a *Constã. in l. vni. C. de his qui par.*

b *Iust. in §. alia deind. inst de pub. iud. Alfonsus noster. in l. 12. tit. part. 7. Vide Tib. Decian. li. 9. crimin. cap. 8.*

c *Arist. 2. magn. mor. cap. 12.*

d *Philostr. in vit. Apoll. lib. 2. c. 7. & Plutarc. li. de amor. parent.*

quellus[c], & Petrus Gregor. copiosè multa, vti assolent, in vnum congesserit, non est cur ego immorari nunc debeam, & ex illorum paginis (quod impudenter alij fecerunt[f]) meas paginas cōfarcire. Præsertim cùm tacentibus etiam nobis, parentum erga filios charitatem, & natura ipsa satis cōmendet, & eis inditum nomen ostendat. Filij namque à φιλῶς dicuntur, vt cum Accurs.[g] nostro alij communiter prodiderunt, quòd amorem & affectum significat; aut à verbo φιλήσις hoc est, vehementi affectione, & summo amore appellantur, vt Alciat.[h] Connan. & eruditiores alij testantur. vnde nullum nomen dulciùs, nullū amantiùs quàm filij, Callistratus[i] docet, & Latinus Pacatus[l] *instituente* (inquit) *naturá plus ferè filios, quàm nos metipsos diligimus*. Cicero[m] etiam ex formâ membrisque corporis intelligi ait, naturam ipsam procreari liberos voluisse, & diligi deinceps procreatos, & Iust. Imp.[n] nullum affectum, nullum extraneum amorem reperiri posse tradit, qui paternū vincat, pro quo, vt & Paulus[o] scripsit, magis in liberis quàm in se ipsis terrentur. Sed & naturalem hanc in liberos propensionem & curam elegantissimè, vt solet reliqua, Seneca[p] his verbis expressit. *Non vides, quemadmodum teneram liberorum infantiam parentes ad salubrium rerum patientiam cogant? Flentium corpora ac repugnantium diligenti curá fouent, & ne membra libertas immatura detorqueat, in rectum exitura constringunt, & mox liberalia studia inculcant, adhibito timore nolentibus. Ad vltimum audacem iuuentam frugalitati, pudori, moribus bonis, si parum sequitur, coactam applicant. Itaque beneficiorum maxima sunt quæ à parentibus accipimus, dum aut nescimus, aut nolumus*. Et Cassiodorus non minus ele-

 gan-

c *Tiraq. in l. si vnquā in prin. ex n. 1. vsq; ad 37. Pe. Greg. in præłud. li. 5. c. 7.*

f *Pet. Flaz. c. 22. n. 24. Ascan. Cle. de pat. potest. c. 4. Costan⁹ quæst. iuris ca. 15. n. 27.*

g *Accur. in §. fin. verb. appellantur inst. qui test. tut. & alij relati à Rojas in epit. success. c. 2. n. 5. Tiraquel. sup. n. 11.*

h *Alc. in l. filij appellatione 84. vbi Bræque⁹ de verb. sig. Connan. li. 10. com. c. 1. Rebuf. in l. liberorū vers. præter hæc omnia, de verb. sig.*

i *Calistr. d. l. liberorum.*

l *Latin. Pacatus in Panægyr, ad Theod.*

m *Cic. 3. de finib⁹.*

n *Iust. l. fin. C. de curat. fur.*

o *Pau. in l. isti quidem ff. eo quod met. caus. §. fin. Inst. de noxal.*

p *Sen. li. 6. de beneficijs cap.*

q *Caßiod. lib. 2. var. epist. 14.*

ganter [q]. *Nutriuntur* (inquit) *à paruulis, ipsis laboratur, ipsis diuitiæ conquiruntur, & cùm sibi vnusquisque credat abundare quod poßidet, cùm à patribus adhuc quæritur, pro alterá potius ætate peccatur. Maria ipsa sæuis tempestatibus excitata, genitoris cura non refugit, vt peregrinis mercibus acquirat, quod propriæ soboli derelinquat, pro quâ subire non recusamus exitium*. Quod nec nostri iuris auctores [r] omisisse videntur, apud quos passim parentes ex naturali voto liberis sua omnia parare, dicuntur, & dulci officio fungi, cùm illos heredes scribunt [s]. Nimirum quia vt ait Seneca [t] *Quid tandem miseræ istæ diuitiæ expetuntur? si ne in hoc quidem vt liberis relinquantur*. Quam ob causam hunc communem & naturalem in filios amorem sentiens Menāder [v], *O filii* (inquit) *quantum estis philtrum humanæ menti*, Et pater apud Terentium [x] de filij salute sollicitus ait:

r *L. penul. de bon. libert. l. nam & si de inoff. l. cum ratio de bon. dam. l. Iulianus si quis omiss. cau. test. l. 1. ꝗ emancip. C. de legit. hered.*

s *Ita Imp. Ant. in l. 1. C. ꝗ his qui sibi scribunt.*

t *Sen. li. 2. cont. 1.*

v *Menand. relat⁹ à*

x *Terēt. in Heautont.*

> *Nec fas est me vlla voluptate perfrui*
> *Nisi vbi huc ille saluus venerit*
> *Meus particeps.*

Vocat autem participem filium, quòd olim (vt ex Cicerone, Hotoma. [y] ostendit) patres præ nimio in filios amore & indulgentiâ, viui adhuc, cum eis bona partirentur: vnde & condomini à Paulo [z] appellantur, & ab Ausonio [a] dum ait:

y *Hotom. in l. in suis ꝗ lib. & post.*

z *Pau. in l. in suis de lib. & post.*

a *Auson. edyl. 4.*

> *Iusta quidem series patri succedre, verùm*
> *Esse simul dominos gratior ordo piis.*

Quin & nullum sanctius, nullum firmius censetur iusiurandum, quàm quod pro filiorum salute concipitur, nullum etiam frequentius, quàm quo vt nobis superstites sint, aliquid vouere solemus. Id quod optimè Plinius [b] insinuat, dum de insigni illo captatore Regulo loquitur, qui concepto per filij salutem iura-

b *Plin. lib. epist. fin. li. 2.*

iuramento, quendam fefellerat, *Clamat* (inquit) *moriens ô hominem nequam, perfidum, ac plus etiam quàm periurum, qui sibi per salutem filii peierasset.* Ostendit etiam Terentiana[c] Sostrata, quæ Clitiphonti filio deierat, hoc modo. *Ita mihi atque huic sis superstes, vt ex me atque hoc natus est.* Apud Senecam[d] quoque patris iusiurandum his verbis concipitur: *Ita mihi superstite filio mori liceat*, Et alibi[e]: *Ita mihi libero & viuere contingat, & mori. Ita oculos meos filii manus operiant.* Quo loci, quod Seneca de operiendis oculis ait (vt obiter animaduertamus) ad Romanorum morem spectat, apud quos C. Plinius[f] magno ritu sacrum fuisse ait, vt morientibus oculos operirent. Quo nomine, vt ex Plutarch. refert Petrus Crinitus[g], infelices eos vulgo vocitare solemus, quorum oculos, propter absentiam, parentes vel filij obtegere non potuerint. Apud Quintilianum[h] etiam pater ille proclamat, *O quàm graue est mori: quãto grauius quòd ego viuo superstes filii mei.* Et Cicero[i] quamuis à Lactantio[l] reprehensus, inde superstitionis, & superstitiosi nomẽ prouenisse testatur, quòd essent multi, qui totos dies precarentur & immolarent, vt sui sibi filij superstites essent. In Epitaphijs quoque maximi huius erga filios amoris, & communis parentum voti, vt sibi filij superstites sint, multa testimonia à Romanis relicta ex his constat, quæ diligentissimus Brissonius[m] congessit. Quorum tamen duo transcribam, quæ apud Cuiacium[n] etiã reperiuntur: Et primum eò libentiùs, quòd excellentissimi & acutissimi Iurisconsulti Papiniani nunquam sine honoris titulis laudandi[o] fuerit, eius monumento in hæc verba à parentibus positum.

AEMI-

c *Teret. in Heaut. act. 5. scen. 4.*

d *Sen. li. 9. contr. 4.*

e *Lib. 9. contr. 4.*

f *Plin.* *Vide Ant. Aug. c. de l. Mauia.*

g *Pet. Crinit. de honest. discipl. li. 18. c. 12.*

h *Quintil. decl. 6.*

i *Cic. li. 2. de nat. Deor.*

l *Lact. diui. inst. li. 4. ca. 48.*

m *Brisson. 7. de form. pag. 797.*

n *Cui. li. 8. obs. c. 23.*

o *Prout & faciũt Impp. in l. cũ acutissimi, & in l. cũ virum C. de fideicomis. & in l. 1. vers. sed neq; C. de vet. iur. enucl. & alibi passim.*

AEMILIO Paulo Papiniano Præfecto Prætorio Iurisconsulto, qui vixit annos XXXVI. dies X. Menses III. Papinianus Hostilius Eugenia Gracili turbato ordine, in senio, heu parētes fecerunt Filio optimo. Aliud sic habet.

Infelicissimus parens adflictus præ posteritate Naturæ, Filiū hoc Tumulo condidit, quē importuna. Mors ademit, Prerepsitq; senij baculum, cui iā defessa ætas adnitens, Per breues annos suos alleuabat, nunc ante mors adsequitur quam tristes lachrymæ deseruerint.

Quæ cum ita sint, nemo ibit inficias, iustis de causis parentes, qui filiorum fata properauerint, quorum vitā cupere, fouere & propriæ vitæ dispendio curare debuissent, Constantini lege asperrimo parricidarum supplicio damnari. Quid enim non illi patiantur, qui plus nimio duri proprios filios negligunt, & immoderatâ austeritate eos occidunt, pro quibus non secus ac pro aris & focis dimicare tenebantur? & qui naturam, non dicam hominum, sed omninò ferarum exuisse videntur? Quæ vt rectè considerat Petrus Gregorius [p] pro suis maximè catulis occumbunt. Delphines enim ita fœtus diligunt, vt eos sequantur, & vnà ideò cum illis (Aeliano referente) [q] capiantur. Auis etiam, vulpanseris nomine, meminit Hor⁹ Apollo [r], si quando eam venator cū paruulis insequatur, patrē & pariter matrē, vt seruētur paruuli, se vltro venatorib⁹ dare. Extat quoq; pulcherrima apud Lucretiū [s] dolentis vaccæ de vitulo amisso descriptio, & apud poëtā Papiniū [t].

p *Pet. Greg. lib. 36 syntag. c. 24. n. 22. & in præludi. lib. 5. c. 7. & omnino Philostr. in vit. Apoll. li. 2. c. 7.*

q *Ælian. 1. de animal. c. 18.*

r *Hor. Apol. in litter. hierogl.*

s *Lucret. li. 2. de nat. rerum.*

t *Papini⁹ in x*

Aspera

- - - - - - - - - - - - - Aspera Tygris
Fœtibus abreptis, Scytico deserta sub antro,
Accubat, & tepidi lambit vestigia saxi.
Et læa, quam sæuo fœtam pressere cubili
Venantes Numidæ, natos erecta superstat,
Mente sub incertâ toruum ac miserabile frendens.
Illa quidem turbare Globos, & frangere morsu
Tela quærit; sed partus amor, crudelia vincit
Pectora, & in mediâ catulos circumspicit irâ.

Vnde nihil certè grauiùs habuit Aeschines [v], quod exprobraret Demosthenì, quàm quòd statim post filij mortem, candidâ veste indutus luctum neglexisset: adijciens, eum qui filios aut contemnit, aut odit, neque probum esse, neque bonum populi gubernatorem futurum. Iob [x] quoque huiusmodi homines Struthioni aui comparat, cuius maxima est erga proprium fœtum obliuio, *Duratur* (inquit) *ad filios suos quasi non sint sui, priuauit eam Deus sapientiâ, nec dedit illi intelligentiam.* Quare Plato [y] nequaquam illatam filijs à parentibus cædem inultam relinquẽdam existimauit, quin potiùs suis legibus cauit, vt si pater aut mater (accidit quamuis raro) per iram verberibus, vel alio modo filium vel filiam interficiat, perinde ac cæteri homicidæ purgetur, & triẽnium exulet, ac post ipsam, restitutionem maritus ab vxore, vxorque à marito separentur: nec simul amplius liberis procreandis operam nauent: neuterq; horum simul habitet, vel vnà cum eo sacris communicet. Aegyptiorum etiam legibus, vt Diodorus [z] refert, pater filij interfector eo supplicio afficì iubebatur, vt tribus diebus, noctibusque palam & obseruante eum militari manu, circa interemti filij cadauer assisteret: Aequum non putantes eum

v *Æsch. in orat. cont. Cthesiph. & Demosth.*

x *Iob c.39. Pier. Valer. in Hierog.*

y *Plat. li. 34. dialog. 9. de leg.*

z *Diod. li. 1. Blib.*

V libero-

liberorum causâ vitam perdere, cuius ipse liberis auctor fuisset, sed dolore & poenitentiâ facti affligẽdum. Quâ poenâ, licèt leuis primâ facie videatur, *Siculi non inuenere Tyranni tormentum maius*, cùm ob nimiam naturæ necessitatem, & parentum in filios amorem, lugubre illud trium dierum spectaculum, & sceleris proprij conscientia, prorsus patri perniciem sit allatura, nam vt ait Euripides[a] in supplicibus. *Nullum cruciabiliùs malum inueniri potest quàm filium mortuum conspicere*, Et vt rectè Seneca[b]

a Eurip. in suppl. act. 5. vers. 128.

b Sen. in Hippoli.

O nimium potens
Quanto parentes sanguinis vinculo tenes
Natura! quàm te colimus inuiti quoque?
Occidere volui noxium, amissum fleo.

Quò forsan respexit Lucianus in Tyrannicidâ, vbi Tyrãni filium qui interfecerat, præmium quoq; pro patris morte exposcit, quam is præ dolore sibi consciuerat, verba autem hæc sunt. *Cum duos eodem die Tyrannos occiderim, vnicum tamen pro ambobus præmiũ petitum venio, qui quidem vnus omniũ quotquot vnquam Tyrannicidæ fuerunt, vnico vulnere duos maleficos fuerim amolitus, necią; dederim, filium videlicet ense, patrem ingenti charitate quâ filium adamabat. Itaq; Tyrãnus pro his quæ cõmisit abundè magnas poenas nobis depẽdit, quippè qui & viuus aspexerit filium priùs morte sublatum, & quod est omnniũ maximè nouum, copulsus sit deniq; ipse sui Tirannicida fieri.* Sicq;, vt Petrus Victorius[c] scribit, nullã multi magis diram, plenamq; odij rationẽ, quâ animum suum in vlciscendis iniurijs, satiare possent, iudicarunt, quàm filios in ipsorum parentum conspectu trucidare. Legimus enim apud Demosthenem[d], Cardianos, vt supplicio acerrimo afficerent Miltocytem Thracẽ amicum Atheniensiũ, primùm

c Pet. Vict. 1. variar. lect. cap. 8.

d Demost. contr. Aristocratem.

filium ante patris oculos in naui iugulasse, & è naui in pelagus proiecisse. Fertur etiam Plutarcho [e] teste Stratesicleam Spartiatã mulierem, cum filio captã, tortores rogasse, vt prior filio necaretur, sed vt crudelius vexaretur, non obtinuisse, & apud Virgilium [f] Priamus non de cæde filij Neoptolemum accusat, sed quòd ante patris oculos occidisset, sic inquiens.

e *Plutarch.*

f *Virg. 2. Æneid.*

Ecce autem elapsus Pyrri de cæde Polites,
Vnus natorum Priami, per tela per hostes
Porticibus longis fugit & vacua atria lustrat.
Saucius illum ardens infensum vulnere Pyrrus
Insequitur: iam iamq; manu tenet, & premit hastâ
Vt tandem ante oculos euasit, & ora parentum
Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit,
Hic Priamus quamquam media iam morte tenetur
Non tamen abstinuit, nec voci iræque pepercit,
At tibi pro scelere exclamat, pro talibus ausis,
Dii, si qua est cœlo pietas quæ talia curet,
Persoluant grates dignas & præmia reddant
Debita: qui nati coram me cernere lethum
Fecisti, & patrios fœdasti funere vultus.

Sed neq; abest Astyagis Persarum regis factum, qui, vt Herodot. [g] & Iustin. recensent, nullam in Arpagum ob seruatum nepotem Cyrum, maiorem vltionem inuenit, quàm eius filiũ occidere, patriq; epulãdũ offerre: Et Cãbisis, qui, vt refert Crinit⁹ [h] Traxaspi infestus, quod eum temulentiæ & ebrietatis accusare ausus fuerat, filium ipsius præsente patre in medium procedere, sublatâq; super caput sinistrâ manu, procul consistere iussit; & interim capiens arcum, intendensq; illum, Probabo, inquit, nunc falsum esse quod obiurgas, & in cor ipsum adolescẽtis, aciẽ simul ac spiculũ direxit, eũq; pro libidine fixit.

g *Herodot. & Iustin. lib. 1.*

h *Petr. Crinit. li. 6. cap. 2.*

Vnde hoc naturæ tributum soluentes Aegæus, Gordianus, Melisus, Scedasus, Octauius Balbus, & alij plurimi sexus vtriusque parentes, quorum passim auctores [i] mentionem fecerunt, filiorum mortes præ mœroris magnitudine non sustinentes, amplius in viuis agere noluerunt, & nimiâ erga filios indulgentiâ, in se ipsos manus inijcere non dubitarunt. Et apud Quintilianum [l], cùm filij pauperis ad supplicium peterentur, pater sese obtulit, illos vicariâ morte seruaturus. *Quod* (inquit ipse) *qui miretur non habet liberos*. Non absimili ab Agesilai dicto, ratione, quem, cùm quidam arundini insidentem, & cũ filio equitantem vidisset, nimiamque indulgentiam tanquam rege indignam reprehenderet, Nunc tace, dixisse fertur [m] Agesilaus, quoniam non habes liberos, cùm verò & tu pater euaseris, tunc etiam patres imitaberis. Quo ex fonte illa fluit frequens in nostrorum doctorum [n] libris cautela, vt si pater simul cum filio de aliquo delicto fuerint accusati, neque appareat, quis eorum delictum commiserit, priùs filius, inspectante patre, quæstioni & tormentis subdatur, vt sic pater eius dolore commotus, statim veritatem aperiat & proferat. Item & illud, vt atrociora parentum crimina, filiorum etiã pœnis luantur [o], in quo non eã maximè causam præ oculis habuisse ligislatores videntur (vt rectè aduertit Mercerius [p], quam Impp. [q] expresserunt, *quia in filiis paterni, hoc est hereditarii sceleris exempla metuũtur.* Neque eam etiam, quam ipse Mercer. admisit, *vt nihil omnino supersit, quod eius memoriam refricet, qui peccauit*: Sed eam potiùs, quòd ad continendos in officio patres nihil, potuit efficaciùs excogitari, quàm eos, qui pœnas sibi impositas nõ vererentur, filiorum

i *Vale. li. 5. c. 7. Plutarc. in amator. narrat. Leonicus de var. hist. li. 2. c. 10. Tiraq. in d. l. si vnquam in princ. n. 8.*

l *Quint. decl. 11.*

m *Plutar. in eius vit. Bellengard. verb. pater.*

n *Referunt eam Isern. Hip. Cepol. & alij relati à Tiraq. sup. n. 7. & d. pœn. temp. caus. Ascan. de pat. potest. c. 3. n. 4. Pet. Greg. in prælud. lib. 5. cap. 7.*

o *L. quisquis §. filijs C. ad l. Iuliam maiestat. cum traditis â Couarr. 2. var. c. 8.*

p *Mercer. 2. opin. cap. 14.*

q *Impp. in d. l. quisquis.*

filiorum (quod magis sentiunt) supplicio, terrere. Quam rationem multi doctissimi[r] viri referunt & exornant, & ad eam nos omnes Cicero[s] manu duxisse videtur, dũ ait: *Nec verò me fugit, quàm sit acerbum, parentum scelera filiorum pœnis lui: Sed hoc præclarè legibus comparatum est, vt charitas liberorum, amiciores parentes reipublicæ redderet*, Et Tertull.[t] non minùs eleganter, de Deo loquens, qui patrum delicta à filijs exigit *Duritia* (inquit) *populi talia remedia compulerat, vt vel posteritatibus suis prospicientes legi diuinæ obedirent. Quis enim non magis filiorum salutem, quàm suam curat.*

r *Tiraq. in d. l. verb. donatione largitus nu.333. latè & optimè Pe. Fab. 3. sem. c. 8.*

s *Cic. epist. 12. ad Brutum.*

t *Tertull. li. 2. aduersus Marcionẽ.*

CAPVT XI

Non esse tantam pietatem filios seruare, quantum facinus interficere. Fuisse multos qui in suam progeniem sæuierint. Echeti, Tantali, Prognes, Medeæ, Pontiæ, Gallæ, Deiotari. Laudicis & aliorum vtriusque sexus parentum in filios crudelitas. Eius detestatio. Constantinum qui primus cullei supplicium filicidis indixit in idem crimen prolapsum. Hoc multis testimonijs probatum. Quæ causa Constantinum in filij & vxoris necem impulerit. Ad purganda parricidia regenerationis lauacrum, non ob lepram susceptum ab eo fuisse.

CONSTAT igitur verissimum esse, quod Euripides[a] dixit: *Vehementem amorẽ Deus in liberos hominibus dedit.* Cõstat etiam hunc affectum, vt Cicero[b] tradidit, hancque beneuolentiam genuinam & naturalem erga sobolem esse. Vnde meritò sæuissimâ parricidij pœnâ, eiusmodi flagitium, non dicam parentum, sed carnificum impijssimorum punitur, qui propria pignora perdere non exhorrent, quæ communis omnium animalium instinctus & pietas

a *Eurip. in Alcm.*

b *Cic. in epist. ad Attic.*

seruare, & docet & iubet. Quod sentiens Quintilianus[c], *Non est tanta* (inquit) *pietas filium asseruasse, quantum facinus occidisse*. nimirum quia in id omnes sponte naturâ duce feruntur; hoc verò tam infandũ scelus, nulli in animum cadere posse videtur. Quam ob causam non iudices tantùm, & leges humanæ, verùm & natura ipsa, in hæc hominum portenta excandescit. Nam ex Apollonio Rhodio[d] didicimus Echetum quendam sceleratum hominem, quòd filiæ oculos ferreis stimulis cõfixisset, miserabili apud inferos cruciatu torqueri, caliginosa æs in casa molentem. Tantalus quoque à poëtis[e] narratur, Dijs quos conuiuio exceperat, Pelopem filium membratim discerptum, & coctum, comedendum apposuisse. Illi vero redditâ Pelopi vitâ, patrem tanti sceleris auctorem, ad inferos detruserũt vbi perpetuâ fame & siti torquetur, Eridani fluuij aquis mẽto tenus immersus, & pomis quæ eius capiti immi-nent, captationem eius fugientibus. Prognes etiam atque Medeæ multiplex est item apud eosdem Poëtas[f] memoria, quæ illatas sibi à maritis iniurias, innocentium filiorum cædibus vindicarunt, aduersus quas, auium exẽplo insurgit Alciatus[g] sic inquiẽs:

Ante diem vernam boreali cana palumbes
Frigore nidificat, præcoca & oua fouet:
Mollius & pulli vt iaceant, sibi vellicat alas,
Queis nuda hiberno deficit ipsa gelu.
Ecquid Colchi putet, vel te Progne improba? mortem
Cum volucris propriæ prolis amore subit.

Et Iuuenalis[h], Pontiæ crudelissimum facinus refert & increpat, quæ duos filios veneno necauit.

- - - - - - - - - Sed clamat Pontia, feci
Confiteor, puerisque meis aconita paraui,

Quæ

c *Quint. decl. 8.*
d *Apoll. Rhod. li. 4. argonau.*
e *Diction. poët. in Tantalus.*
f *Sen. in tragœd. Medea. Ouid. 7. metam. Ælian. de var. histor.*
g *Alciat. Embl. 193. vbi plura Minoes & Sanctius, vide eosdem Embl. 54.*
h *Iuuenal. saty. 6.*

Quæ deprehensa patent, facinus tamen ipsa peregi.
Tu ne duos vnâ sæuissima vipera cœnâ;
Tu ne duos? septem si septem fortè fuissent.
Credamus tragicis, quicquid de Colchide toruâ,
Dicitur & Progne.

Cuius etiam Pontiæ scelus nefandum, Epigrãmatarius Martialis [i] expressit, Gallæ sceleri comparans, quæ non minori crudelitate tres natos fame peremerat, in hæc verba.

i Mart. li. 2. Epig. 34.

Cum placeat Phileros tota tibi dote redemtus.
Tres pateris natos Galla perire fame,
Perpetuam Dii te faciant Philerotis amicam
O mater quâ nec Pontia deterior.

Sed vt à Poëtis ad Historicos trãseamus, nemo erit, qui sine maximâ execratione atrox barbarumque regis Deiotari facinus legere possit, quẽ post Plutarchum [l], Cælius Rhodiginius & M. Ant. Muretus commemorant, plures habuisse filios, quorum cùm ipse vni relinquere imperium, atq; omne patrimonium suum cuperet, quò id faciliùs efficeret, cæteros omnes manibus suis trucidauit, vinitorum exẽplo, qui cùm vitis aliqua complures emiserit surculos, vnum tantùm ex his relinquere, alios amputare consueuerunt, vt is qui relinquitur, maior & robustior fiat. In Galilæâ etiam latronem quendam septem filios simul cũ vxore in Herodis regis præsentiâ occidisse, idem Cæli⁹ [m] recẽset. Sed neq; minor illius Mariæ crudelitas videretur, nisi necessitas maleficium quodammodo temperaret, quæ, vt Egesippus [n] narrat fame coacta, quæ omnem affectum excludit, Hierosolymitani belli temporibus filium in frusta confectum, igni percoxit, vt hiantes, vt Cælius [o] ait, ventris latratus expleret. Lau-

l Plutarc. relatus à Cæl. li. 11. c. 17. Muret. li. 8. var. cap. 24.

m Cæl. sup.

n Egesippus de excid. Hierosol. Ioã. Sarisberiens. in policrat.

o. Cæli⁹ qui eleganter eamd. hist. refert li. 13. lect. ant. c. 20.

Laudicis autem immanitas omni excusatione, quin & fide maior iudicari poterit, quæ ex sex virilis sex filijs ex marito Ariarate Cappadociæ rege iam defuncto susceptis, metuens, ne ab administratione regni adulter eius, quem perditè amabat, à filijs prohiberetur, quinque parricidiali poculo, vt Patricius[p] ex alijs retulit, interfecit: Vnum qui adhuc à nutritoribus alebatur, à materno furore ac diro scelere cognatorũ custodia eripuit, qui deinde matri (quæ paruo post tempore concursu totius populi propter nimiam sæuitiam trucidata est) successit in regno, & regiam sobolem iam propè per scelus extinctam propriâ virtute instaurauit. Sæuus etiam nimis Mãlius Torquatus ab scriptoribus[q] appellatur, quicquid non seruati imperij causam in nece filij pretenderit: quemadmodum & Spartana illa mulier Damatria, quæ cùm accepisset filium vili atque ignauo animo esse, domum reuersum manu suâ occidit, ac Græcis versibus sepulchro inscripsit, vt Plutarchus recenset[r]

p Franc. Patr. de regn. li. 4. tit. 11.

q Valer. & alij infra citandi.

r Pluta. in apoph. Lacon. circa fin.

Hunc timidum mater Damatrion ipsa peremit:
Nec dignum matre, nec Lacedæmonium.

Sed & aliud mulieris cuiusdam parricidium miraculosamque eius vltionem apud Sophronium[s] legimus, ait enim illam cùm intra nauigium admissa fuisset, tam etsi secundi essent ventorum afflatus, quiescente mari, cùm reliqua omnia nauigia felicissimâ nauigatione vterentur: illud vnum velut immobile dies quindecim substitisse, summâ itinerantium omnium nautarumque mœstitia, quousque gubernator ad diuinam opem confugiens responsum audijt diuinum; Eijciendam mulierem cui Mariæ nomen erat; Accitam igitur rogauit, vt scelera indicaret,

s Sophron. in prato Spirit. c. 76. refert Maiolus dier. canic. colloq. 10. pag. 397.

caret, vnde omnibus iacturam pati tantam, ipsa vna causam præbuisset. aperuit illa peremisse se filios duos, vbi ad secundas nuptias viam aperiret; ac nec sic inuenisse. Tunc gubernator mulierem in scaphā descendere iussit; mirum tunc accidit, scapha quinquies in girum agitata, in imum cum muliere demersa est. Nauis autem posthæc tantâ velocitate iter percurrit, vt triduo iter omne absoluerit, quod non nisi quindecim diebus confici potuisset. Verùm Dij meliora, quàm vt ego eorum omnium catalogum faciam, qui naturæ leges trāsgressi, in proprios filios crudeliter sæuierunt; præsertim cùm huiuscemodi monstra, quæ fuerant potiùs obliuione perpetuâ damnanda, passim in aliorum scriptis connumerentur [t]. Quare sufficiat exempla alijs minùs cognita retulisse, & illud tandem pro coronide subiiciamus, Constantinum Cæsarem, qui primus (vt diximus supra) cullei pœnam in filiorum interfectores extendit, in idem crimen, quod grauiter adeò damnauit, non multis postmodùm annis incidisse. Nam Crispū filium, & Licinium ex sorore natum, quibus consulibus seuerissimam in parricidas legem promulgauerat, item etiam & Faustam vxorem crudelissimè occidisse narratur [v], vt contra Euagrium & Sozomenum eruditè ostendit Cæsar Baronius [x], & apertè testatur Sidonius Apollinaris [y], qui postquàm hos versiculos retulit, qui in Constantini palatij foribus appensi fuerant,

Saturni aurea secla quis requirat?
Sunt hæc gemmea, sed Neroniana,

ita subdit, *quia scilicet prædictus Augustus iisdem fermè temporibus extinxerat coniugem Faustam calore balnei, filium Crispum frigore veneni*. Cuius sceleris causam li-

t Valer. lib. 5. c. 7. Bap. Fulgos. li. 5. c. 8. Textor in officina. 1. part.

v Ita tradit Oros. lib. 7. c. 28. in fi. Eutrop. libr. 10. Sext. Aur. Vict. & Pet. Mexia in vitâ Constantini.

x Baron. 3. tomo annal. ann. Chris. 324.

y Sidon. Apoll. 5. epist. 8.

z *Zonaras 3. to. annal. in vita Cõstant. Muretus lib. 1. var. c. 12.*

cèt Zonaras[z] & Muretus fuiſſe dicant, quòd Fauſta Criſpum Conſtantino ex concubinâ natum, inſano amore correpta, cùm ad concubitum pellicere nequiuiſſet; apud patrem, eodem modo vt Phædra Hippolytum, accuſauit, vt à quo adamaretur, ſuâ pudicitiâ ſæpè ſollicitatâ, quem Conſtantinus re nõ ſatis conſideratâ immerentem morte mulctauit, & deinde veritate cognitâ, de ipſâ quoq; vxore, cùm ob impudicitiam, tùm ob filij cædem pœnas exegit, eâ in balneum vehementer calefactum introductâ, & nimio æſtu præfocatâ. Adhuc tamen Conſtantinus ipſe horum parricidiorum perteſſus, quæ fortè non adeò iuſtâ ratione patrauit, augures pro tanti criminis purgatione & expiatione conſuluit, à quibus cum nullam acciperet formam, quâ abluĩ hoc facinus poſſet; doctus Chriſtianam fidẽm per Baptiſmi ſuſceptionem ſcelera omnia abolere, ſalutarẽ aquam, vt Baronius exactiſſimè & diligẽtiſſimè probat, ſuſcepit, eorum[a] inde errorem reiiciens, qui anilibus fabulis ducti, illum in morte, vel dum leprâ laboraret, regenerationis lauacrum à Sylueſtro Pontifice accepiſſe, fatentur.

a *Tradit Alciat. lib. 7. parer. c. 19.*

CAPVT DVODECIMVM.

Parricidij teneri matrem non quæ natum tantùm, verùm & quæ conceptum filium abegerit, & aborſum procurauerit. In hâc re communiter animatum fœtum ab inanimato diſtingui. Id an iure factum? Tryphoninus in lege Cicero. D. de pœnis. exponitur. In abortum curantes Iuuenalis, Ouidij, Ciceronis, & Tertulliani elegantiſſima verba. Grauius homicidio hoc crimen videri. Nullâ ratione excuſari.

VERBIS potiùs quàm rebus impositæ hæ leges viderentur, quæ illatam filijs à parentibus necem seuerissimis pœnis vindicandam statuunt, nisi quotidianis constaret exemplis, incredibile hoc scelus, & vltra audaciam positum, sæpè fieri; atque ita prudentissimè legum sanctionibus cohiberi. Sed verò quoniam non in natos tantummodò filios, iustis interdum causis commoti, excandescere solent parentes; sed & multoties accidit, vt matres vel dum famæ & pudori consulunt, vel dum parentum odia in filios immerenteis coniiciunt, in propria viscera sæuiant, & medicamentis ad faciendum aborsum desumtis, filium claustris adhuc maternis inclusum pessimo, & crudeli exemplo interficiant. Videndum est nunc, an hoc facinus parricidij supplicio sit expiandum? Et fuere quàmplures [a], qui aientem partem absque aliquâ hæsitatione defenderint, eo præcipuè casu, quo iam fœtus formatus & animatus extiterit. A quibus lex Moysis à Diuo Augustino [b] relata, stare videtur, quæ partum, mulieris, vel alterius cuiuslibet facto, postquàm iam animal esset, abactum, capitale crimen esse constituebat: sin minùs pecuniariâ pœnâ mulctabat. Item & communis nostrorum traditio [c], quæ iuxta hanc distinctionem Iurisconsultorum responsa in abortus pœnâ constituendâ, variantia, componit, & homicidium in abortione infantis committi constituit, cùm huic recepta homicidij

X 2 diffi-

a *Pet. Gregor. lib. 36. Syntagm. ca. 15. numero 17. Ferdin. Mendoz. lib. 3. Concilij Illiberit. cap. 52.*

b *Exodi cap. 21. quæ refertur à D. Augusti. in cap. Moyses. 32. q. 2. facit cap. sicut. 20. de homicidio. tradit Tiber. Decian. libr. 9. crim. cap. 8. nu. 3. cum seqq.*

c *Gloss. & alij in l. Diuus. de extraordin. crimin. recepta à multis, quos refert, & sequitur Ægidius Boss. in praxi, tit. de homicid. nu. 5 Couarru. in Clement. si furiosus. 2. part. §. 3. nu. 1. Iulius Clarus 5. sententia. §. final, quæst. 68. nu. 2. Menochius casu. 357. nu. 4. & 5. Cuiacius lib. 19. obseruat. cap. 9. qui ita accipiunt dictam l. Diuus, & l. si mulierem. de sicarijs. l. penultima, C. eodem tit. l. 8. tit. 8. partita 7. & alias. Vide etiam Rœnardum 3. conuict. cap. 1.*

diffinitio [d] omninò conueniat. Accedit his, quod, qui abortionis, aut amatorium poculum dederint, etiam si ex eo mulier aut homo non perierit, tamen quia mali exempli res est, humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam amissâ parte bonorum relegari, vt tradit Iulius Paulus [e], iubentur. Quæ pœna in legibus Vvisigothorum [f] expressè ad vltimum supplicium his verbis extenditur: *Qui mulieri prægnanti poculum dederit ad necandum infantem, vel ad faciendum aborsum occidatur*. Quamdam quoque Milesiam mulierem, quòd ab heredibus secundis, acceptâ pecuniâ, partum sibi ipsa medicamentis abegisset, rei capitalis esse damnatam Tryphoninus ex Cicerone recenset [g]: quem locum est cur meritò difficilem reputemus, quòd constat ex secundâ eius parte, mulierem alteram, quæ suis visceribus vim intulit, ne inimico marito, à quo iam diuerterat, filium procrearet, temporali tantùm exsilio ab Imperatoribus coërcitam fuisse. Quodq; vt ibi Budæus aduertit, & post illum Couarr. [h] & Menochius notarunt, Cicero, ex quo Consultus illius responsi verba desumsit, de fœmina loquitur, quæ nec dum animatum partum potionibus haustis abegit, quæ, si vera est supradicta distinctio, non debuit adeò graui supplicio damnari. Sed quidem probandum est, quod docti viri [i] respondent, ideò in eo casu pœnã exacerbatam, quod mulier pecuniâ inductâ tantum facinus perpetrauerit, atrociora namque & maiori animaduersione digna iudicantur delicta, quæ ob pecuniæ interuentum; quàm quæ odio vel gratiâ patrantur [l]. Vt verò in viam è diuerticulo redeam, in Vvormacensi concilio [m] cautum etiam inuenimus,

d *C. homicidium. 23. q. 5. c. homici. de pœnitẽ. dist. 1. notat Vela de delict. c. 15. ex n. 3.*

e *Paul. in l. si quis aliquid. 38. §. qui abortionis. D. de pœn. & li. 5. sent. tit. 23.* Mantua *in Enchir. c. 245.*

f *Leg. Vvisigot. 1. lib. 6. tit. 3.*

g *Tryph. in l. Cicero. 39. de pœn.*

h *Couar. vbi sup. & lib. 2. var. ca. vlt. n. 10. Menoc. d. casu 357. n. 5. Tiber. Decia sup. vide etiam Osascũ decis. Pedem. 60. per tot.*

i *Ita docet* Meno. *pluribus alijs relatis vbi sup. n. 13. & 14. & elegãter Cuiac. d. li. 19. obser. c. 9. in princi. Dionys. Gotof. in d. l. Cicero.*

l *Ca. pro humani. de homicid.*

m *Refertur in c. si aliquis. 5. de homicid. idẽ cautũ est in abortu in 6. Synod. Constantin. can. 91. quem parricidium vocat Matisconense cano. 6. relat. à Burch. 3. decr. c. 220.*

mus, vt non solùm qui animatum partum abegerit, verùm & qui explendæ libidinis causâ, vel odij, homini aut mulieri quippiam fecerit, vel potu propinauerit, vt non posit generare, vel concipere, vel soboles nasci, vt homicida puniatur. A quo nec abest Stephanus Papa [n], qui cùm in morte infantis homicidium committi probare contenderet, ita inquit: *Quia si ille, qui conceptum in vtero per abortum deleuerit, homicida est, quanto magis, qui vnius saltim diei puerulum peremerit, homicidam se esse excusare nequibit?* Sed neq; bonorum auctorum testimonijs deficimur, quibus sceleris huius atrocitas execretur, & non mitiori quàm homicidium pœnâ mulctanda dicatur. Nam Iuuenalis [o] frequentiã huius criminis dolens sic ait:

n *Steph. in c. consuluisti. 20. 2. q. 5*

o *Iuuen. satyr. 6.*

Sed iacet aurato vix vlla puerpera lecto:
Tantum artes huius, tantum medicamina possunt,
Quæ steriles facit, atq; homines in ventre necandos
Conducit, &c.

Et Ouidius [p] aureis carminibus in hanc rem eleganter scriptis, matres detestatus, quæ in suos fœtus ita crudeles sunt, inter alia sic inquit:

p *Ouidius. lib. 2. amor. eleg. 14.*

Quæ prima instituit teneros auellere fœtus,
Militiâ fuerat digna perire suâ.
Si mos antiquis placuisset matribus idem,
Gens hominum vitio deperitura fuit.
Quid plenam fraudas vitem crescentibus vuis?
Pomaq; crudeli vellis acerba manu?
Sponte fluent matura sua, sine crescere nata,
Est pretium paruæ non leue vita moræ.
Vestra quid effoditis subiectis viscera telis?
Et nondum natis dira venena datis?
Cholchida respersam puerorum sanguine culpant,
Atque sua cæsum matre queruntur Itym.

Vtraque sæua parens, sed tristibus vtraque causis,
Iacturâ socij sanguinis vlta virum est.
Dicite, quis Tereus, quis vos irritet Iason
Figere sollicita, corpora vestra manu?
Hæc neque in Armenijs tygres fecere latebris,
Perdere nec fœtus ausa leæna suos.

Cicero quoque in Cluentianâ hoc facinus etiam in partu necdum animato grauissimè vindicari debere testatur, *Quia aufert spem parentis: memoriam nominis, subsidium generis, heredem familiæ, designatumq; Reipublicæ ciuem.* Sed meliùs cæteris Tertullianus Aristotelem [q] notans, qui antequàm infans sensu & vitâ præditus esset, abortum permittebat, hæc scripsit elegantissima verba: *Nobis homicidio semel interdicto, etiam conceptum vtero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissoluere non licet. Homicidij festinatio est prohiberi nasci: nec refert, natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet; homo est & qui est futurus. etiam fructus omnis iam in semine est.* Hactenus Tertullianus [r]: ex cuius verbis, nec non ex reliquis quæ supra retulimus, iam liquidò apparet, abortum præcipuè partus iam animati homicidij speciem habere. Vnde cùm homicidium parentum vel filiorum in parricidij nomen, & supplicium transierit [s], non dubitarem cullei pœnâ matres afficere, quæ tam dirum facinus commisissent. Præsertim cum apud Minutium Felicem in Octauio parricidij nomine hoc crimen appelletur. *Sunt (ait) quæ in ipsis visceribus medicaminibus epotis originem futuri hominis extinguunt, & parricidium faciunt antequàm pariant.* Quamuis Menochius [t] cuius sententia forensi vsu recipi solet, mitiùs se in hoc crimine habeat, & pœnam iudicum arbitrio relinquat. Nam si eas, quæ in iam natu gran-

diores

q *Arist. 7. polit.*

r *Tertull. in apol. cap. 9.*

s *L. 1. D. ad leg. Pomp. de parrici. l. vni. C. de his qui parent.*

t Menoch. d. *cas. 357. Tiraq. in l. si vnquã, verb. suscepe. liberos, nu. 127. qui docent pœnam homicidio impositã, nunquã ad abortũ trahi.*

diores filios, eorum forsitan injurijs percitæ, sæuiũt, parricidij damnamus, cur non in eas eodem gladio leges insurgent? quæ innocentes animas & temporali hac vitâ immaniter priuant? & quod dolendum est magis, nondum sacro baptismate lotas, æternæ illius gaudijs, & præmijs spoliant? Quod si Iustiniano Cæsari [v] satis crudele visum est, eum qui non sentit, ingratum existimari, & alieni odij causâ, ab vltimâ suæ matris hereditate repelli: quanto magis censeri atrox, & crudele debebit, partum necdum in lucem editum, spe lucis priuare, aut propter mariti odium contra diuina humanaq; iura perimere. Etenim vt rectè in non absimili casu scribit Ouidi⁹ [x].

Quid puer admisit tam paucis editus horis,
Quo læsit facto vix bene natus auum?

Et, vt non minùs rectè Quintilianus [y]. *Quid hæc ætas committere potuit tantâ animaduersione dignum? lex abdicationis aduersus ferociam iuuenum constituta est. Hæc verò infirmitas adeò nocentis nomen non recipit, vt vix recipiat innocentis.* Quod si id fortè vt famæ consulant faciunt, & ne prægnantes detectæ, labis culpæq; ruborem apud eos, quibus cum viuunt, contrahant, adhuc tamen

Summum credo nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam viuendi perdere causas.

Et vt optimè inquit Claudius Minoes [z], vitam eam non iudico, *quæ assiduo sibi malè conscia, nocte dieq; suũ portet in pectore testem.* Quibus & alia conueniunt, quæ eleganter in huius criminis detestationem Sixtus [a] Quintus P. M. grauissima ei supplicia constituens, recensuit.

CAP.

v *Iust. in l. si quis in suo. §. legis. C. de inoff.*

x *Ouid. in epist. Cana. ad Mac.*

y *Quin. decl.* 279

z *Claud. Min. ad Alciat. emb.* 193

a *Sixt⁹ Pap.* 5. *in constit.* 23. *de faciet. & procurã. abortũ, quã tamẽ ad antiquũ ius reduxit Greg.* 14.

Dig. Hisp. Suelves tom. 2 vol. 37. Ubi varia de mate mariti

CAPVT XIII.

Maritum qui vxorem, vel vxorem quæ maritum occiderit, culleo insui debere, negatum à quibusdam, à multis assertum. Hispanà lege expressè sancitum. Huius rei rationes ex coniugum amore petuntur. De quo plurima diligenter congerimus. Coniuges sibi inuicem insidiantes maius parricidio crimen admittere Chrysostomi & Stephani verbis probatur. Murenæ & viperæ exemplo cum D. Basil. & Alciato coniugalis concordia & charitas suadetur. Cur fel in Iunonis pronubæ sacris non adhiberetur? Formula illa, vbi tu Caius ego Caia, quò tenderet? Noua eius explicatio. Vxores maritis æquales esse debere. Dominas sæpe in legibus appellatas. Interdum filiorum loco fuisse. Pœnas malis maritis impositas. Qui coniugum amorem propriæ vitæ prætulerint. Vtrum hæc pœna ad sponsos trahatur? Martiani responsum exponitur.

A Parentibus & liberis, ad coniuges, nec inopportunè, vt arbitror, transitum nostra faciet oratio. Nam & hi sibi arctissimis amoris & necessitudinis vinculis copulantur, & diuinæ & humanæ domus, sacrorum etiam atque fortunarum omnium socij esse dicuntur [a], neque secus sibi, quàm parentes liberis sunt. Apud Gallos enim, si Cæsari [b] fidem habemus, viri in vxores non secus ac in liberos dominationem habebant: & Romanis, vt ex Vlpiani fragmentis [c] colligitur, ea quæ per coëmtionem in viri manum conuenisset, filij loco quoad omnes iuris ciuilis effectus reputabatur. Quinimo & coniugalē amorē quemlibet alium longè latèq; superare, illud Dei Opt. Max. oraculum satis ostendit [d]. *Propter hāc relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Et Propertianū [e] carmē admonuit, dū ait, *Omnis*

a L. 1. ff. ritu nup. l. aduersus. C. de cri. expil. hered. l. 1. D. rer. amot.

b Cæsar lib. 6. de bello Gallic. quod & hodie apud eos durat teste Tiraq. in l. 1. conn. n. 4.

c Vlp. in frag. tit. Dionys. Hal. lib. 2. Pet. Velleius à Guenara ad Topica Cicer. §. 8. n. 3.

d Genes. 2. Matt. 19. Mar. 10. Paulus ad Ephes. 5. Esdræ 3. c. 4.

e Proper. lib. 4.

Omnis amor magnus, sed apertè in coniuge maior.
Quod non dubiè insinuasse etiam Imper.[f] videtur, dum vxores, nouis maritis, non res tantùm filiorum verùm etiam & vitam addicere, tradit, & Bartolus iuris nostri Coryphæus[g], expressis verbis testatus est, inquiens, *coniuges se inuicem plus diligere, quàm proprios filios.* Et Quintilianus[h] sic patrem quendam loquentem inducit: *Filium & virum habere non poteras, reddidi tibi quem magis amabas, siste iam lachrymas, maritum reducem & incolumen accipe.* In quam eamdem sententiam Ioannes Neuizanus[i] post alios considerat, annulum in desponsatione eam ob causam adhibitum fuisse, vt summæ dilectionis signum ostenderet, & eius rotunditas, quæ est infinita, amorem coniugum infinitum etiam esse debere, declararet. Aitq; annulum olim ferreum fuisse, eiq; adamantẽ inclusum, vt ostenderetur, non aliter coniugis amorem, vxorem à patris amore retrahere, quàm adamas ferrum à magnete retrahere solet. Ex his apparet, iustis de causis, & communi Doctorum[l] calculo, & forensi vsu receptum, vt parricidij crimen & supplicium in maritum, qui vxorem occiderit, & è contrario, locum habere existimetur. Nam si ex charitatis, & amoris vinculis, facinoris immanitatem metimur, procul dubio aut nullam, aut hoc maximè scelus hâc debuit pœnâ coërceri. Quæ opinio licèt à Ioanne Oinothomo[m] & Matth. Vvesemb. damnetur, qui contendunt cullei pœnam, & parricidij nomen solùm in ascendentibus, & descendentibus locum habere, nostro tamen iure inspecto[n], omni dubitatione remotâ admitti debebit, & iuxta iuris communis sanctiones[o] adeò vera videtur, vt non

Y solùm

f L. lex quæ tuto res. vers. lex enim non solùm. C. de admin. tut.

g Bart. in l. pater Seuerinam. §. socrus. de condi. & demonst.

h Quint. decl. 6.

i Neuiza. in Sylua nup. lib. 3. n. 13. vide etiã Brisson. de ritu nup. pa. 3.

l Ita tenet glossa verb. iuxta modũ in c. fi. de stat. monach. omnes in l. 1. de parric. & in §. alia. inst. d pub. iud. Gomez. Carrer. Plaza, & alij, quos refert & sequitur Vela de delict. c. 27. n. 4. & vltra eos Pet. Ærod. lib. 8. rerũ iud. tit. 6. ca. 16. & Mãtua in Enchir. c. 73. Anæ Rober. rer. iud. li. 1. c. 14. Tib. Dec. lib. 9. crim. c. 11.

m Oinot. & Vvesembec. in §. alia deinde.

n Ex l. 12. tit. 8. part. 7.

o d. l. vni. C. de his qui parent. d. §. alia deinde. facit l. vlti. C. de sicarijs. vbi modus quæstionis habendæ in hoc crimine traditur.

solùm parricidium, verùm deteſtabilius parricidio ſcelus in coniugis nece perpetrari, notabilis quædam decretorum gloſſa [p] tradiderit, quæ Neuizano, [q] & alijs quos ipſe recenſet, vehemẽter probatur. Quorum herclè iudicium magnâ ratione niti, quilibet dicet, qui attentè Diui Chryſoſtomi verba perlegerit, qui poſtquàm virorum in vxores ſæuitiam, maximam eorum ignominiam eſſe probauerat ita ſubdit [r]: *Etenim ſumma iniuria eſt, vitæ ſociam, & in rebus neceſſarijs antea tibi coniunctam, tanquam mancipium ignominiâ afficere. Ideo huiuſmodi virum, ſiquidem vir appellandus eſt potius quàm fera, & patricidæ, & matricidæ ſimilem eſſe dixeris. Nam ſi patrem & matrem vxoris gratiâ relinquere præcipimur, non vt iniuriam ei faciamus, ſed diuinam legem impleamus, & ipſis parentibus tam gratum hoc eſt, eam contumeliâ afficere, propter quam parentes Deus dimittendos præcepit, nonne hoc tantùm inſania? &c.* Sed & facit etiam in hanc rem, & huius criminis diritatem oſtendit, grauiſſimum Stephani Papæ [s] ad Haſtulphum quemdam, decretum, vbi ei propter vxoris cædem aſperrimam pœnitentiam iniungens, ita exorditur. *Admonere te cum lacrymis, & multo gemitu cordis curamus, fili Haſtulphe: ſed non filius debes dici, qui tam crudeliter infelix homicidium perpetraſti: nam occidiſti vxorem tuam, partem corporis tui, legitimo matrimonio tibi ſociatam, ſine cauſâ mortis, non tibi reſiſtentem, non inſidiantem quoquo modo vitæ tuæ. Non inueniſti eam cum alio viro nefariam rem facientem, ſed concitatus à diabolo, impio furore inflammatus, latronum more, atrocius gladio tuo, crudelior omni beſtiâ, peremiſti, &c.* Vnde & Horatius libro tertio Carminum, ode 2. Danai filias ita deteſtatur.

Impiæ nam quid potuere maius?

Impiæ

[p] Glo. in c. admonere, verb. exiſtimes. 33. q. 2.

[q] Neuiz. in ſylua nup. lib. 1. nu. 43.

[r] Chryſo. in prior. Pau. ad Corinth. epiſt. hom. 26. refert illum Tiraq. in l. 8. conn. n. 8. vide etiam Arioſtum cantu 5. in princ. qui elegãter in eos qui in vxores ſæuiunt inuehitur. Et Mant. in Enchir. c. 123. qui docet grauius eſſe vxorem, quã matrem occidere, & Balduin. in §. ſed & maior, nu. 10. inſt. de his qui ſunt ſui. Tiber. Decia. li. 9. crim. c. 11. per tot.

[s] Steph. P. in c. admonere. 33. q. 2.

Impiæ sponsos potuere duro,
Perdere ferro.

Et Alexander Regis Spitamenis vxorem, quæ trucidati mariti caput gestabat, auersatus est, atque illam è castris excedere iussit, vt Quintus Curtius libro 8. recenset. Diuus quoque Basilius magnus [t] viperæ exemplo quæ cum muræna marina eiecto prius ex stomacho diro veneno congreditur, maritis suadet, vt reuerentiâ coniugij, animi inclementiam, & inhumanitatem in vxores, deponant: quod Alciatus [v] noster, eleganti complexus emblemate, ita inquit:

Cum furit in Venerem, pelagi se in litore sistit
Vipera, & ab stomacho dira venena vomit:
Murænamq; ciens ingentia sibila tollit,
At simul complexus appetit illa viri.
Maxima debetur thalamo reuerentia: coniux
Alternum debet coniugi & obsequium.

Et Cato ille Censorinus, tantum cultus & venerationis deberi vxori cēsebat, vt quisquis ei manus intulisset, non aliter insectandus esset, quàm si Deorū simulacra audax temerasset. Neque aliud significare veteres illi Ethnici volebant, ex quorum institutis, vt ex Plutarcho [x] didicimus, qui Iunoni Pronubæ sacrificabant, fel in sacris non adhibebant, sed è victimâ exemtum, iuxta aram infodiebant, significantes à matrimonio bilem omnem procul esse oportere, & iram atq; odium & amaritudinem à coniugali iucunditate esse sequestrandam. Quò etiam solemnem Romanorum morem spectasse, ex eodem Plutarcho [y], & alijs cognouimus, vt sponsam introducentes iuberent dicere: *Vbi tu Caius ego Caia*, quasi cum viro paciscēretur, omnia inter

t *Basil. in exam. orat. 7.*

u *Alci. embl. 191*

x *Plutar. in præcep. connub.*

y *Plut. in prob. c. 28. Eras. in adag. vbi tu Caius. Alex. ab Alexā. 5. gen. c. 4. Briss. de rit. nupt. fol. 421 Mant. in Enchi. c. 122.*

inter eos communia esse debere, & vbi maritus dominus & domus compos, ibi quoque vxorem dominam atque heram futuram. Aut vt ego magis existimo, (relictâ aliâ Eustachij [z] interpretatione) vbi gaudens maritus, ibi gaudentem quoque vxorem esse debere. Inuenio enim apud Romanos, *Caios*, à gaudio appellatos, eosq; vt ex Valerio [a] constat eo nomine significari, qui cum maximo parentum gaudio nascerentur. Quam inter coniuges æqualitatem rerum omnium creator affatim denotauit, cùm ex Protoplasti Adami latere, non autem ex pede aut capite Euam formauerit [b], & Romani non obscurè significabant, vxores dominas & matres familias appellantes, vt doctè Fornerius [c] & Cuiacius ostendunt, & nouissimè insignis D. Ant. Pichardo vir nō modo de scholâ nostrâ, verùm & de ipsâ quoq; iurisprudentiâ optimè meritus, in præclarâ disputatione, quam de promiscuâ coniugum nobilitate nuper excussit. Et adeò eis omnium bonorū dominiū communicantes, vt rectè dicere Columella [d] potuerit: *Nihil in domo coniugali apud priscos diuiduum conspici, nihil quod aut maritus aut fœmina proprium sui iuris esse diceret, sed in commune conspiciebatur ab vtroque.* Nec minùs rectè Plutar. [e] hinc donationes inter coniuges prohiberi, quòd absurdum legislatores existimauerint, aliquid inter eos reperiri quod commune non esset. Quam rationem meliorem his, quæ à nostris Iurisconsultis [f] proferuntur, multi emunctæ naris auctores [g] non malè censuerunt.

Vnde qui naturale hoc fœdus, & mutuam corporum & animorum coniunctionem, quæ matrimonij interuentione contrahitur, insuper habent, & vitæ ac saluti, quæ vna ambobus esse debebat, insidias ten-

z *Eustach. lib. 2. & 14. Iliad. quā probat noster Io. Pareja in repeti. c. 1. de censibus.*

a *Valer. (si tamen is est) in libr. de prænomin. anti.*

b *Genes. 1. notant multi ex Theol. quos refert Tira. in l. 8. conn. n. 10. Mant. in Ench. c. 73. Picta poesis pag. 53.*

c *Forner. lib. 1. se-lect. c. 11. Cuia. no uell. 22. & āte eos latè Tiraq. l. 10. connub. nu. 5.*

d *Colum. in præf. lib. vlt. de re rust.*

e *Plutar. in præcep. connub. cap. 36. & in probl.*

f *In l. 1. & seqq. de donat. inter.*

g *Alciat. 3. disp. c. 14. Duaren. ad tit. sol. matr. tit. de nup. c. 1. Corrasi⁹ 5. miscel. c. 14. & lib. 2. c. fi. in fine.*

tendunt, meritò atrocissimâ hâc parricidij pœnâ plectuntur. Nam si Spartæ, vt Plutarchus[h] testatur, seuerissimum supplicium malo marito ex legibus erat indictum. Et apud Romanos malæ tractationis actio[i] vxori in virum à quo non vt opportebat acciperetur, iure optimo concedebatur: cur non maxima inferendæ cædis audacia, maximo etiam supplicio coërceretur? prout Romæ à Tiberio & Senatu, Plautium Siluanum prætorem damnatum legimus[l], quòd Aproniam vxorem è fenestrâ dedisset præcipitem, qui tamen damnationem voluntariâ morte anteuertit. Non sic sanè Tiberius Grachus, qui vxoris vitam propriæ vitæ præposuit[m]: Non sic alij coniuges qui maritalem fidem egregijs exemplis asseruerunt[n]: Non sic denique Erulorum, Indorum, & aliorum barbarorum vxores, quæ se se eodem quo maritus rogo comburendas iniiciebant, aut post illius sepulchrum laqueo accepto vitam finiebant[o]. Hæc tamen quæ de viris & vxoribus diximus, non facilè ad sponsos de futuro (quidquid contrarium Plaza[p] arbitretur) extendenda censerem: nam licèt hi sententiâ legis Pompeiæ de parricidijs comprehendi à Martiano[q] dicantur, id tamen ad eam illius legis partem spectat, quâ, legis Corneliæ de siccarijs pœna irrogari iubetur, Cullei autem supplicium, quod ex rationis paritate maritis infligitur, porrigi ad sponsos nō debet, vt benè D. Ioan. Vela[r] præuidit; in his namque consideratæ à nobis causæ non militant, & rarò aut nunquam, præsertim in pœnalibus, vxorum appellatio ad sponsas extenditur, vt latissimè ille librorum heluo Tiraquellus[s] probauit.

h Plut. in Lysan.
i L. consensu. C. de repud. vide Io. Gutier. lib. canonic. quæst.
l Apud Quintilia. & Pet. Ærod. li. 8. rer. iud. tit. 6. c. 16.
m Vide Valer. li. 4. c. 6. Cic. de diui nat. Plutarch. in Grachis.
n Vide Valer. sup. & li. 6. c. 7. Bap. Fulgos. li. 4. c. 6.
o De Erulis Danubij accolis Procopius, de Indis Catharis, & alijs. Pet. Ærod. lib. 8. tit. 5. c. 1.
p Plaza de delic. c. 22. n. 31.
q Martian. in l. sed est sciendum. ad leg. Pom. de parrid.
r Vela de delict. d. c. 27. n. 4. contra Plazam sup.
s Tiraq. post ll. conn. in princ. ex nu. 21.

CAPVT XIIII.

Cullei pœnam nouioribus legibus, quibus Hispana nostra consentit, non in parentes & liberos, vxores & coniuges tantùm, sed & in quorundam etiam propinquorum interfectores irrogatam videri. Quinam hi sint. Parentum nomen ad consanguineos interdum extendi. Martianus, Iustinianus, & Alphonsus explicati. Cullei pœnâ propinquorum necem non vindicari tandem contra communem defenditur. In fratrum occissoribus res in dubium vocatur. De fraterno amore plurima. Insignes Quintiliani & Valerij in fratricidas loci. Parricidij nomen fraternæ cædi à bonis auctoribus datum. De Romuli parricidio. Liuius an malè crimen Horatij perduellionem dixerit?

SPECIALIS cullei pœna, quæ in ascendentium & descendentium interfectores Constantinianá lege [a] reperitur inducta, latius, si Iustiniani [b] verba perpendimus, patere videtur. Nã & conscios criminis & si extranei sint, manifestè cõprehendunt, & generaliter eas omnes personas teneri volunt, quæ eâ nobis affinitate iunguntur, quæ nuncupatione parentum continentur. Quam Iustiniani decissionem sequutus Alphonsus rex noster [c], & Martiani responsum [d] ad verbum transcribens, parricidij reos esse, & singulari illâ cullei pœnâ à maioribus institutâ puniendos statuit, non eos tantùm, qui ascendentes, & descendentes in infinitum occiderint, sed & illos etiam, qui fratrem, sororem, patruelem, matruelem, patruum, auunculum, amitam, materteram, consobrinum, consobrinã, virum, vxorem, generum, nurum, socerum, vitricum, priuignum, priuignam, nouercam patronum, aut patro-nam

a d. l. vnic. C. de his qui parent.

b Inst. in §. alia. de pub. iud.

c Alph. in d. l. 12. tit. 8. par. 7.

d Mart. in l. 1. D. ad leg. Pomp. de parricid.

nam vitâ priuauerint. Vnde Greg. Lopez[e] illius legis auctoritate admonuit, iam hodie pœnam culei, quæ olim iuxta Modestini responsum[f] solùm parentum occissoribus irrogabatur, ad reliquas alias personas, quarum mentionem fecimus dubio procul extensam videri. Quod etiam in terminis iuris communis post Constantini & Iustiniani sanctiones omnes ferè interpretes[g] admiserunt. In transuersalibus vsque ad quartum gradum; in parentibus & liberis absq; vllâ gradus præfinitione, hanc pœnam locum habere testantes. Nec desunt rationes, quibus hæc opinio adstrui possit, & iustis de causis defendi; cùm & Iustinianus eas omnes personas comprehenderit, quæ eius essent affinitatis (siue affectionis, ut alij libri habent, & docti viri[h] magis admittunt) quæ nuncupatione parricidij continetur, & ex Martiani verbis, quæ supra retulimus, constet parricidij nomen in lege Pompeiâ latissimè, vt vidimus, accipi. Quinimò & extra legis Pompeiæ tractationē, parentū nomen, apud bonos Latinæ linguę scriptores, ad transuersales quoq; referri, iam dudū Alex. ab Alex.[i] & Tiraq. latè notarunt; & nos patrio idiomate, omnes, qui nobis quoquo affinitatis aut cō sanguinitatis gradu iunguntur, *parientes*, vocamus. Sed & rationem exposcere vt seueriùs consanguineorū vel affinium cædes, quam extraneorū puniantur, vel ex eo constat, quòd, vt Cicer.[l] tradidit, hos nobis quodammodo natura conciliat, innatusq; est quidā affectus & amor in eos, quibus necessitudine sumus coniuncti. Ob quē innumera in iure introducta esse, vsq; ad nauseā Tiraq.[m] ostēdit. Sed licèt hæc ita se habeāt, & lex nostra Regia adeò expresis verbis superiorē sentētiā admittat. Ego adhuc praxi illā non

e *Greg. Lop. d. l. part. verb. qualquier dellos.*

f *Modest. in l. pœna 9. vers. qui alias. D. de parri.*

g *Constat ex Fab. Aug. Plat. & alijs in d. §. alia. glo. in d. l. 1. verb. pœna. pluri. relat. à Carrer. in prax. tit. de homi. vers. 9. quæro. nu. 35. Plaza d. c. 22. ex n. 30. Ant. Gom. 3. to. c. 3. n. 3. Velà d. c. 27. n. 4. Tiber. Decia. lib. 9. crim. c. 8. n. 5. cū seqq. & latius c. 10. per tot.*

h *Balduin. Cuiac. Theoph. Hotoman. & Vresemb. in d. §. alia.*

i *Alex. ab Alex. 1. gen. c. 15. Tiraq. ib. 1. de retract. §. 1. glo. 8. ex nu. 1. vide omninò Cuiac. lib. 9. obser. c. 18. & Casaubon. in notis hist. Augustæ pag. 134. & 479.*

l *Cicer. 1. offic.*

m *Tiraq. de pœn. tēp. caus. 51. ex nu. 66.*

non nisi eo tantùm in casu reciperem, quo parentibus liberi, vxores maritis, aut è contrario necem intulerint. Quamuis non diffitear aliorum cognatorum mortem, secundum gradus proximitatem, arbitrio iudicis, grauiori quàm homicidij pœnâ puniri posse. In quam sententiam me & multorum doctissimorum virorum auctoritas[n] trahit, & lex ipsa partitæ, quæ cullei pœnam iam ab antiquis temporibus supra dictis personis irrogatam esse fatetur, cùm tamen constet, more maiorum solùm in liberos, vt sæpe diximus vsurpatam; atque ita non vsque quaq; illam distinctionem abrogare voluisse videtur; sed tantùm legem Pompeiam prout apud Iurisconsultos obseruabatur, probare. Lex autem Pompeia, licèt ad multos pertineret, pœna tamen cullei ad eos tantùm extendebatur, qui patrem, matrem, auum, auiámve, aut alium ex ascendentibus occidissent[o]. Quæ licèt posteà, nouioribus Constantini & Iustiniani legibus, in parentes qui liberos vitâ priuassent, protracta fuerit, neutiquam tamen ad alios nobis ex latere iunctos extensa videtur. Nec enim frustra Codicis titulus de his tantùm concipitur, *qui parentes vel liberos occiderunt*, & illarum legum verba ad eas se restringunt personas, quæ parentum siue parricidij nuncupatione comprehenduntur. Quorum verborum quænam sit acceptio, & interpretatio iam alio loco exposuimus.

n *Baldui. Oinoth. & Vvesemb. in d. §. alia. Duar. ad leg. Pomp. de parrid. Carrer. & alij ex sup. relat. præsertim Tib. Deci. d. c. 10. nu. 7.*

o *d. l. pœna. vers. qui alias. de parr.*

Planè in fratribus aut sororibus, qui, quæve fratres aut sorores necassent, non iniuriâ eadem quæ in parentum aut liberorum occisoribus pœna admitti debuisset. Nam si quod crimen graue est, & supplicium meretur, fratricidium certè non modo atrox, sed nefandum, non sceleratum, sed horrendum iudicari

dicari debet. Vnde Virgilius [p] apud inferos pari tormentorum cruciatu fratrum & parentum iniurias lui, his verbis ostendit: p *Virg. 6. Æneid.*

Hîc quibus inuisi fratres dum vita manebat,
Pulsatúsve parens, & fraus innexa clienti.

Et Quintilianus [q] elegantissimè. *Equidem iudices* (inquit) *admirari me confiteor, aut constitutas esse tantis sceleribus pœnas, aut illos inueniri potuisse mortalium in quos caderet ista suspicio: fratrem suum potuit aliquis occidere? Non obstitit tacita natura? non sanguinis ius? Non sceleribus manus suas obiecit quæcumque est illa, quæ creditur esse pietas fratrem occisuro? Non succurrit communis vterus? non eadem causa vitæ? non vna primordia? Non illa consuetudo, quæ alienos etiam, & nulla necessitudine inter se coniunctos, componere & adstringere adfectibus potest? Consuetudo actæ pariter infantiæ, pueritiæ studia, lusus, tristitia, ioci. Nam quid est aliud fraternitas quàm diuisus spiritus?* q *Quint. decl. 321*

Quod idem nec minùs eleganter Valerius Maxim[r]. sic extulit: *Quam copiosæ suauitatis illa recordatio est: in eodem domicilio ante quam nascerer habitaui: in eisdem incunabulis infantiæ tempora peregi: eosdem appellaui parentes: eadem pro me vota excubuerunt: parē ex maiorum imaginibus gloriam traxi. Chara est vxor, dulces liberi, iucundi amici, accepti affines, sed postea cognitis nulla beneuolentia accedere debet, quæ priorem exhauriat.* A quibus nec Hesiodus [s] abest, qui germano amori nullum alium æquandum testatur. Nec P. Nigidius apud Agelliū[t]. *Qui fratrem* (inquit) *quasi ferè alterum dictum.* Nec vxoris Intaphernis factum, quæ optione sibi à Dario Persarum Rege data, quem ex filijs, marito, & fratre vinctis & interfici iussis liberari vellet, fratrem elegit, quòd diceret, maritum sibi alium, atque alios liberos esse posse, alium verò fratrem, parentibus

r *Val. Max. li. 5. c. 5. in princ.*

s *Hesiod. in Ergis.*

t *Agell. lib. 12. c. 10. noct. Attica. eamdem etymol. probat Fest. Pōp.*

Z iam

iam vitâ defunctis, non posse contingere. Quam historiam Herodotus [v] scriptam reliquit, & ex nostris retulit Tiraq. [x] plurima alia de fraterno amore & charitate considerans. Quam ob rem, *Vox sanguinis fratris* (inquit Dominus [y]) *clamat ad me de terra.* & Nicetas [z] cùm Volcus Neemanis Triballorum principis filius, Stephanum fratrem prælio fudisset, & fraternâ cæde manus polluisset, nefarium hoc facinus multâ verborum acerbitate prosequitur. Aemilius etiã Papinianus, vt Spartian [a]. refert, ab Antonino Caracallâ rogatus, vt illum in Senatu de fratris Getæ nece excusaret, respondit faciliùs parricidium committi posse, quàm excusari. Nam & parricidij nomẽ ad fratricidium passim extendi, apertissimum est. Liuius [b] de Demetrio loquens. *In eâ cœnâ dicitur venenum datum, poculo epoto extemplò sensit, & mox coortis doloribus, relicto conuiuio, in cubiculũ recepit sese, crudelitatem patris conquerens, parricidium fratris.* Diuus Augustinus Romulum increpans, qui vt vulgò auctores [c] commemorant, in ipsis Romanæ ciuitatis initijs Remum fratrem peremit. *Magis* (inquit [d]) *contra Romanos mouere Deos debuit Romuli frater occisus, quàm contra Troianos Græcus maritus illusus: magis irritare parricidium nascentis, quàm regnantis adulterium ciuitatis.* Diuus quoque Hieronymus [e] de eâdem re verba faciens, *Imperator* (inquit) *vnus, iudex vnus prouinciæ. Roma vt condita est duos fratres simul habere non potuit, & parricidio dedicatur.* Vnde Iacobus Cuiacius [f] rectè Festum Pompeium [g] dixisse contendit, Publium Horatium, qui cùm victor de trigeminis Albanis rediret sororem lugentem interfecit, accusatum parricidij apud Duumviros fuisse; & à Liuio [h] id malè perduellionem appellari. Quamuis Liuium defendere conetur

v Herod. in Thal.
x Tiraq. de pœn. temp. caus. 22. ex nu. 6. & Tiber. Decia. lib. 9. crimin. c. 10. n. 4.
y Genes. 4.
z Nicet. annal. pag. 264. refert Annæus Robert. lib. 3. rer. iud. c. 7
a Spartian. in Antonini Caracallæ vitâ.
b Liui. li. 40.
c Idem lib. 1. Lucan. 1. farsal. Oui. 4. Fast. in fin. Horat. epod. 7. Põp. in l. fin. de rerum diuis. quãuis alij hoc falsũ esse scribũt, vt constat ex Onuphrio Panu. de Rep. Rom. 2. p.
d D. August. li. 3 de ciuit. Dei. c. 6.
e D. Hierony. in epist. relatus in c. in apib9 41. 7. q. 1
f Cuiac. lib. 5. sent. ad Paulum tit. 24.
g Fest. Pomp. in verb. sororium tigillum.
h Liuius li. 1.

nectur Iacobus Rauardus[i]: sed & Diuus Cyprianus[l] parricidium in fratris nece constituit, sic inquiens: *Nunquid Cain, cum Deo munus offerret, iam peremerat fratrem? & tamen parricidium mente conceptũ Deus prouidus ante damnauit.* Et Cicero[m] pro Cluentio dum ait: *An & hæc de fratris, & patrui parricidio cogitauit?* Quãmuis alibi proprijs nominibus hæc omnia distinguat, his verbis: *Quid de me quod tulisse te dicis, parricida, fratricida, sororicida, nonne extra ordinem tulisti?*

i *Rauar. ad il. 12. tab. c. 27. Sigon. de antiq. iur. lib. 2. c. 18.*

l *Cypria. tract. 4. de mortal. relatus in c. nunquid 27. de pœnit. d. 1.*

m *Cicer. pro domo sua.*

CAPVT XV.

Conscij parricidij an & quando pœnâ huius criminis teneantur? Vtrum conscientia sola, an etiam sceleris participatio ad pœnam desideretur? Scæuolæ, *Martiani, Vlpiani, & Iustiniani responsa explicantur. Nostra in totâ hâc quæstione sententia, & distinctio. Regiæ legis interpretatio. Par esse delictum admittere, vel consilium, opémve delinquenti præstare. Quintiliani, Ciceronis, & Arnobij in hanc rem testimonia laudantur. Alciati etiam emblema refertur.*

CONSCIOS quoq; criminis, parricidij reatũ incurrere multa iura proclamãt[a], & qui parricidio adsunt, licèt extranei sint grauius puniuntur, quàm si ipsi homicidium patrassent, vt rectè Accurs.[b] & alij considerant, nec enim homicidij sed parricidij tenentur. Et sanè nõ absq; ratione, nam & grauius est filiũ impellere, quàm manu propriâ hoc facinus perpetrare. Neq; potest tam iniqui cõsilij suppliciũ non exasperari: vt enim scribit Arnobius[c], *Quisquis patitur peccare peccantem, is vires subministrat audaciæ*, & vt ait Vlpia-

a *L. vtrum cũ l. seq. D. ad legem Põp. d. l. 12. part. Circa quas vide quæ tradit Florez Mena lib. 1. prac. q. 18. n. 2. & 2.*

b *Accurs. in d. l. [illegible]m. gl[illegible] fi. & in d. §. alia deinde verb. extraneus. vbi Balduin nu. 27. latè Tiberius Decia. li. 9. crim. cap. 13.*

c *Arnobius libro 4. aduersus gentes.*

Vlpianus [d], *Nihil interest occidat quis, an causam mortis præbeat.* Quæ præberi videtur, vbi quis delictum scienter perfici sinit, quod posset negotio facili prohibere [e]. Vnde apud Senecam [f], veneni dati à nouercâ priuigno conscientia, non secus ac ipsa propinatio ex lege puniri iubetur. Sed hic nunc duplex occurrit inspectio. Prior, an in extraneis sola parricidij scientia, an etiam ipsius criminis participatio, vt pœnam subeant, desideretur? Sequens, an eo ipso cullei supplicio more maiorum inducto, an legis Pompeiæ dumtaxat affici debeant? Et quidem Iustinianus [g] apertis verbis culleum decernit, & non dolum tantùm, & opem, sed conscientiam quoque sceleris damnat. Ait enim: *Nec non is, cuius dolo malo id factum est, vel conscius criminis existit, licèt extraneus sit, pœnâ parricidij punitur, & insutus culleo, &c.* In quam sententiam omnes ferè antiquiores consentiunt, quos longâ serie Antonius Gomezius [h], Petrus Plaza, & Tiber. Decianus referunt, & sequuntur. Sed contrà Accursius [i], cuius opinio magis nouioribus placuit, non conscientiam tantùm, sed opẽ & participium sceleris necessarium esse fatetur; id quod ex Scæuolæ responso [l] non malè colligitur, dũ ait filium, qui alterius filij insidias cognouerat tantùm, nec patri indicauerat, relegatione punitum, & ex altero Vlpiani [m], vbi de extraneis agens, non modò eos sciuisse, sed & aliquid opis contulisse proponit, veluti si pecuniam subministrauerit filio, ad veneni mali comparationem, aut vt latronibus, aggressoribusq; daretur, qui patrem interficerent. Et sanè, nisi ita res habet, non facilè perspicere valeo, cur filius, qui necem patris non aperuerit, relegatione dumtaxat damnetur, alijs verò quantumuis extraneis

d Vlpia. in l. nihil 15. D. de sicar.

e L. culpa caret. 50. de reg. iur.

f Seneca libr. 9. contr. 6.

g Iust. in d. §. alia

h Gomez. 3. tom. var. c. 3. nu. 3. & 4. Plaza in epit. delict. c. 22. ex n. 16. Tiber. Decia. lib. 9. crim. c. 13.

i Acc. in d. l. vtrũ. verb. conscij. quẽ ibi sequitur Ang. & latè Oinotho. & Vvesemb. & Balduin. in d. §. alia. Greg. Lop. in d. l. 12. part.

l Scæuol. in l. 2. d. parri. d. l. 8. part. in fine.

m Vlp. in l. si sciẽte. 7. de parric.

traneis sola sceleris notitia parricidij pœnam importet: cùm filij & reliqui sanguine vsque ad quartum gradum coniuncti, reuelare conspirationem in patrem vel consanguineum factam sub pœnâ (vt Menochius[n] cum communi resoluit) iudicis arbitrio imponendâ, teneantur, quod in extraneis non ita constitutum esse, frequentiori Doctorum[o] sententiâ recipitur. Quæ Accursij doctrina lege apud nos regiâ[p] apertè iuuatur, quâ ita demũ extraneis parricidij supplicium infligitur, si opem aut consilium præstiterint. Quo loci Gregorius Lopez[q], legum nostrarum neque indoctus, neque indiligens commentator, idem iudicium amplectitur: adiiciens tamen extraneos criminis conscios, non omninò culpâ vacare, atque ideò aliquâ, leuiori licèt & mitiori pœnâ puniri debere. Quod tam Pontificio, quàm Cæsareo iure in his omnibus, qui delicto futuro cùm possint, obuiam non eunt, admittendum, atq; probandum esse Didacus quoque Couarr.[r] grauiter & doctè contra alios defendit. Et ego iustissimũ reor, nam vt rectè Cicero[s] scriptum reliquit. *Qui non defendit aut obsistit si potest iniuriæ, tam est in vitio, quàm si parentes, aut amicos, aut patriam deserat.*

De pœnâ verò quicquid supradicta iura & auctores rem satis inuoluant, mihi ita statuendum videtur, vt participes criminis si extranei sint, homicidij supplicium subeant, non parricidij, neque culei pœna ad eos vllo modo extendatur, vt & ante me iam alij auctores probarunt[t], & praxis ipsa recepisse videtur. Nam etsi vulgato circumferri soleat iuris principio, parem esse agentium & consentientium siue iuuantium pœnam[v], illud tamen non procedit, vbi diuersa aliqua inter facientem & consulentem.

n *Menochius cas. 355. n. fin. & de hoc quando quis teneatur reuelare delictũ, vide latè Florez Menam. d. li. 1. pract. q. 18.*

o *Glo. Decius, & Cagnolus in d. l. culpa caret, & alij relati à Menoch. sup. nu. 7.*

p *L. 12. titulo 8. part. 7.*

q *Greg. d. l. part. verb.* o cõsejo.

r *Couarr. in Clem. si furios. 2. p. §. 2. nu. 7. ad med.*

s *Cic. 1. offic.*

t *Ita tenent Vvesemb. & Oinoth. in d. §. alia. quãuis contra tenere videatur Tiberi. Decianus [illegible] & [illegible] decis. 62. quem vide.*

v *L. nihil. de sicc. l. qui occidit. §. penult. ad le. Aqui.*

tem qualitas ineſt, quæ in vno potiùs quàm in altero exacerbari animaduerſionem ſuadeat, vt poſt Bartolum [x] multi alij ex noſtris interpretibus tradiderunt. In eo autem de quo loquimur caſu, filij ſcelus atrocius eſſe, & læſum patris ſimul, & pietatis numen, diuerſam maleficij cauſam facere, diuerſamque punitionem habere, quis dubitet? Ergo vterque vltimo ſupplicio, licèt non vterque culleo plectetur. Nam re verâ qui crimen ſuadet, aut alio modo delinquenti opem & auxilium præbet, non minùs in culpâ eſſe videtur, quàm qui ipſe ſcelus admittit, vt ex Ariſtotele [y], & Cicerone ſatis colligitur, & eleganter ex Quintiliano [z], qui *Satis oſtendit ipſa pœna* (inquit) *eum teneri, qui idem commiſerit, quod ſi occidiſſet. Neque enim grauius quicquam aduerſus eum qui ſua manu interfecerit, conſtituere potuit legum lator, quàm aduerſus eum qui cauſam præſtitiſſet. Ergo & ſimilitudine pœnæ etiam crimen par exigere debetis.* Quò reſpiciens Alciatus [a] ex Aeſopi apologo elegantiſſimum hoc conſcripſit emblema.

Præconem lituo perflantem claſsica, victrix
Captiuum in tetro carcere turba tenet.
Queis ille excuſat, quòd nec ſit ſtrenuus armis,
Vllius aut ſæuo læſerit enſe latus.
Huic illi. Quin ipſe magis timidiſsime peccas,
Qui clangore alios æris in arma cies.

x *Bart. in l. qui ſeruo. §. item placuit. de furt. quē ſequuntur Deci⁹ & alij relati à Menoch. de arbi. caſu 351. n. 20.*

y *Ariſt. 1. Rheto. Cicer. in orat. in Piſon.*

z *Quint. declam. 270. & vide con geſta à Mātua in Enchi. c. 229.*

a *Alc. emb. 173.*

CAP.

CAPVT XVI.

Cogitati delicti pœnas Deum tantùm exigere, intentati verò & si non perfecti, leges etiam humanas. Hoc in atrocioribus sceleribus præcipuè procedere. In eis (quidquid alij sentiant) ob solum affectum posse aduersus intentantem ordinariâ criminis pœnâ procedi. In parricidio hoc multis legibus cautum. Venenum propinare grauissimum delictum censeri, & quare. In parricidio & alijs maleficijs conatum & voluntatem spectari non exitum. Exemplis hoc & testimonijs confirmatum. Qui filijs sibi insidiantibus pepercerint?

ETSI cogitationis pœnam, vt Vlpian[a]. ait, nemo meruit, & Paulo [b] teste sola furti faciendi cogitatio non faciat furem, atque in edicto quod quisque iuris in alium statuerit vel obtinuerit, ipse eodem iure vtatur, si iniuria nullũ habet effectum, nihil obsit conatus [c]. Vbi tamen voluntas ad aliquẽ exteriorem actum deuenit, præsertim in grauioribus ac nefarijs criminibus, eadem est ausi & intentati, quæ & commissi & perfecti sceleris causa. Vnde maiestatis, raptus, homicidij, sodomiæ, & similium criminum reatum, non qui perfecerunt tantùm, sed & qui attentarunt incurrunt [d]. Et asperrimum hoc de quo agimus parricidij facinus, sicubi ab aliquo paratum comperitur, etiam si perfici non potuerit, tanquam perfectũ legibus vindicatur. Quod diserte Martian. scripsit, lege Pompeiâ teneri docens, *Qui emerit venenum vt patri daret, quamuis non potuerit dare.* Nec

a *Vlpia. in l. cogitationis. 18. D. de pœnis. ad quã vide Cuiac. li. 8. obser. c. 22.*

b *Paul. in l. 1. §. 1. D. de furt. l. si quid fur. D. eod.*

c *L. 1. in fine. D. quod quisq; iur. vide Guillel. Onciacum. libro. 2. academ. quæstio. cap. 76.*

d *L. quisquis. C. ad leg. Iul. maie. l. si quis non dicã rap. C. de episc. & cler. l. 1. §. diuus. D. de siccar. l. is qui cum telo. C. eod. l. 1. tit. 21. lib. 8. recopil. & vide Caballin. milleloq. 616. & omninò Cuiacium lib. 15. obseruat. cap. 24. qui hoc in omnibus criminibus grauioribus generaliter procedere ait, quæ & naturali, & ciuili iure damnantur. Et idem docet And. Gaill. lib. 1. de pace pub. cap. 14. nu. 3.*

Nec obliti sunt Constantinus[c] & Iustin. qui secundùm magis vulgatam & receptam lectionem, eos culleo insui iubent, *qui parentum vel liberorum fata præparauerint*. Quo verbo, vt Accursius[f], & post eum alij adnotarunt, non qui occidunt solùm, sed & qui occidere tentant comprehenduntur. Sed & apertiùs lex nostra[g] rem hanc, & eius rationem his verbis complectitur. *E aun dezimos, que si alguno comprare yeruas, o ponzoña para matar a su padre, e desque las vuiere compradas se trabajasse de ge las dar, maguer non ge las pueda dar, ni cumplir su voluntad, nin se le aguisasse, mandamos que muera por ello, tambien como si ge las ouiesse dado. pues que non finco por el*. Neque mirum si in parricidij scelere, hoc ita placuerit, nam & quæcumque veneni propinatio etiam extraneo facta, consumati maleficij pœnis subiicitur, vt auctores omnes[h] cômuniter probant. Est enim veneficium adeò graue crimen, vt præ cæteris hoc vnum maleficij nomine designetur. Tantòq; reputatur sceleratiùs, quantò occultiùs committitur, vt benè Rainaldus Corsus, & Annæus Robertus aduertunt[i]. Vnde Imperator Antoninus[l]. *Plus est* (inquit) *hominem extinguere veneno, quàm occidere gladio*. Et Philo Iudæus veneficia cæteris omnibus delictis grauiora censens[m]. *Homicidas* (ait) *eosq; qui palam aggrediuntur, videre & vitare licet: at occultæ insidiæ, & venena, quæ in conuiuio, inter mensæ sacra, inter amicos & sodales præbentur, vix caueri possunt*. Quod si rationes & testimonia petãtur, quib⁹ ausi parricidij suppliciũ exigendũ esse probetur, licèt quis nõ fuerit auso potitus, aduocãdus erit nobis ad partes locupletissimus testis Seneca[n], qui *Omnia* (inquit) *honesta opera voluntas inchoat, occasio perficit: sæpè honorata virtus est, etiam vbi eam fefellit exitus: scelera*

quoq;

c Constan. in d.l. vni. C. de his qui parent. Iust. in d. §. alia.

f Acc. & alij in in dictis iuribus. Tiber. Dec. lib. 9. crim. c. 12.

g d.l. 12. titul. 8. par. 7. in fi.

h Ant. Gom. Ber. Diez, Plaza, Foller. Pe. Greg. Menoch. & plurimi alij relati à Vela de delict. c. 26. n. 3. & Greg. Lop. in d.l. part. verbo aguisasse, qui tamẽ rectè defendit requiri quod sit propinatũ, nec sufficere emtũ fuisse.

i Rain. Cors. li. 1. indagat. c. 5. Annæus Rob. lib. 1. rer. iud. c. 6.

l Anton. in l 1. C. de malef. & mathe. [illegible]

m Philo de specia. legi. cõtra mœch. & homic.

n Sene. li. 4. cõt. 7

quoque quamuis citra exitum subsederint, puniuntur. Hoc que est, quod sæpe Iurisconsulti docent, *In maleficijs voluntatem expectari, non exitum*[o]. Et quod Quintilianus[p] elegantissimè in hoc ipso parricidij scelere, ita exarauit: *Nunquam mens exitu æstimanda est, nam & qui impetum in patrem stricto gladio fecisset, retentus diceret, Non occidi. Si venenum paratum deprehendissem, diceret, Non occidi.* Sed nec minùs eleganter Cicero[q]: *Nisi fortè* (inquit) *quia perfecta res non est, non fuit punienda, perinde quasi exitus rerum non hominum consilia legibus vindicentur. Minùs dolendum fuit re non perfectâ, sed puniendum certè nihilominùs.* Et Senec[r] alibi: *Aliquis mihi venenum dedit, sed vim suam remixtum cibo perdidit; venenum illud dando scelere se obligauit, etiam si non nocuit: omnia scelera etiam ante effectum operis quantum culpæ satis est, perfecta sunt.* Apuleius[s] quoque non solùm cœpta, verùm & cogitata tantùm crimina punienda esse, his verbis ostendit: *Maleficij etiam cogitata scelera, non perfecta adhuc vindicari. Cruentâ mente purâ manu ad pœnam sufficere.* A quo nec Iuuenalis[t] abest dum cecinit.

Has patitur pœnas peccandi sola voluntas,
Nam scelus intra se tacitus qui cogitat vllum
Facti crimen habet.

Et alia, quæ ex patrum decretis, de punienda volũtate Ioannes Aurpachius[v] congessit. Quæ tamen quoad Deum intelligi & accipi debent, vt optimè Alexander ab Alex. considerat[x], cui obnoxius inuisusq; fit, qui læsâ conscientiâ infandum facinus animo agitauit. *Nec enim* (vt Tertullianus[y] ait) *si mediocritas humana factis solùm iudicat, quia voluntatis latebris par non est, idcircò crimina eius etiam sub Deo negigamus:* Qui, vt Cyprianus[z] inquit, *videt corda & pectora*

o L. nihil interest D. de adult. l. 2. de cond. inst. l. fi. D. de sicca. l. fran dis. D. de reg. iur.
p Quint. decl. 281
q Cic. in orat. pro Milone.
r Sene. lib. in sapi. non cad. in iur. cap. 7.
s Apulei. 1. floridorum.
t Iuuen. satyr. 13.
v Ioan. Aurpach. lib. 2. sing. alleg. c. 40.
x Alex. ab Ale. lib. 2. geni. c. 16. Menoc. cons. 56.
y Tertull. lib. de pœniten.
z Cyprian. sermo. 5. de lapsis.

ctora singulorum, & iudicaturus non tantum de factis sed & de verbis, & cogitationibus nostris, omnium mentes voluntatesq; conceptas in ipsis adhuc clausi pectoris latebris intuetur. Ex quibus apparet, quàm à vero deuiet illorum opinio [a], qui propinationem veneni, aut aliũ actum delicto proximum non ordinariâ criminis pœnâ, sed mitiori iudicis arbitrio puniendum existimant. Præsertim cùm neque exempla deficiant, quibus tentati parricidij supplicium seuerissimè sumtum fuisse, probari queat. Nam Artaxerxes Darium filiũ, & quinquaginta alios, qui Darij suasionibus in eius cædem conspirauerant, quin & coniuges quoq; eorum cum liberis, ne quod vestigium tanti sceleris superesset securi percuti iussit [b]: & Mithridates (qui tamen vt Martialis ait [c], *Effecerat epoto sæpe veneno, toxica ne possent sæua nocere sibi*) vxorem, quæ vt adulteria quæ eo absente commiserat, maiore scelere celare posset, aduenienti illi venenum parauerat, cognito ab ancillâ facinore, morte simul cum adulteris mulctauit [d]. Quamuis contrà etiam apud Herodianum [e] legamus, Seuerum Imperatorem filio Antonino veniam dedisse, licèt palam gladium strinxisset, vt eum manu suâ transuerberaret: & notus sit Romanus ille Titus Arius, qui, vt refert Seneca [f], filium in præparatione parricidij deprehendit, & tamen paruit clementiæ Augusti, qui arbiter in eâ causâ ab Ario vocatus, non culleum, non serpentes, sed relegationem solam decreuit, admonens, eâ pœnâ patrem contentum esse debere, in filio adolescentulo, impulso in id scelus, in quo se, quod proximum erat ab innocentiâ, timidè gessisset, sequutusq; Terentianum illud.

Pro peccato magno paulum supplicij satis est patri.

a *Iul. Clar. §. homicid. quæst. 14. & plures per Tiraq. de pœn. temp. causa 39. contra quos tenet Couar. in Clemẽt. 2. p. in init. n. 11. & Menoch. videndus d. cas. 360. nu. 47. & Vela d. c. 26. n. 4. Tiber. Deci. li. 9. crim. c. 9. n. 3. & c. 12.*

b *Narrat Iustin. & ex nostris Pe. Ærod. lib. 8. rerũ iudic. tit. 6. ca. 6. & Pet. Fab. 3. semest. c. 7. pag. 115*

c *Martial. lib. 5. epig. 118.*

d *Refert ex alijs Fr. Patri. de reg. lib. 4. tit. 11.*

e *Herodia. li. 3.*

f *Seneca lib. 1. de clem. c. 15.*

Caro-

Carolum quoque Franciæ Regem huius nominis septimum, Delphino Ludouico filio, alijsq; , qui in eius necem conspirauerant, sedato tumultu ignouisse, Robertus Gaguinus[h], & Petrus Faber commemorant. Qui tamen Faber iniquè admodum pijssimi ac prudentissimi Philippi secundi Regis nostri nunquam nisi honoris causâ nominandi, crudelitatem in Carolum charissimum illi filium accusat, & non satis res nostras doctus, imprudenter gloriosum tanti principis nomen (aut numen potiùs) offendit.

h *Gaguin. in Carol. septimo. Pet. Faber lib. 3. seme. c. 16. pag. 227. in marg. & antea eod. libr. c. 8. pag. 115.*

CAPVT XVII.

Parricidium easdem ac cætera crimina probationes admittere. Iudices comperta maleficia citò punire debere. Suetonium solum, manifesti parricidij reos culleo insui non posse, dixisse, nisi proprio ore crimen confiterentur. Ex Cicerone, Quintiliano, Apuleio, & alijs contrarium constare. Parricidij accusatum absolui, quodammodo ad Reipublicæ honorem pertinere.

CRVDELISSIMO cullei supplicio hodie hi omnes afficientur, qui parricidij scelus vel testibus, vel quouis alio modo conuicti fuerint commisisse. Et quemadmodum in re adeò graui non temerè iudex ad pœnam descendere debet: ita probato maleficio, *Summum* (vt Diui Hieronymi[a] verba detorqueã) *pietatis genus erit esse crudelem.* & eum ocyssimè è rerum naturâ subtrahere, qui naturã ipsam tam infami crimine violauerit. Nam, vt eleganter Cicero[b] inquit, parricidium, *Quò minùs est credibile, nisi ostenditur, eò magis est, si conuincitur, vindicandum.*

a *D. Hieron. epist. ad Heliodor.*

b *Cicer. in orat. pro Ros. Amer.*

Et quemadmodum sanguinis & necessitudinis iura, suspiciones & indicia huius criminis respuunt, reclamitat enim, vt idem ait Cicero, illis ipsa natura, & rem tam scelestam, tam atrocem, tam nefariam credi non patitur, nisi manifestè iudicibus constet: ita vbi fuerit liquidis, & quod leges volunt [c], luce meridianâ clarioribus probationibus, & argumentis comperta, magnitudo maleficij seuerissimam pœnam expostulat, vt qui tam tetro facinore Rempublicam læsit, supplicij exemplo eamdem restituat, *prodeantq;* (vt alibi ait Augustinus [d]) *inde medicamenta, vnde facta sunt vulnera.* Quæ omnia eò spectant, ne quem facilè auctores [e] decipiant, qui cullei pœnam non nisi in eos, qui proprio ore parricidium confessi fuissent, irrogandam affirmant. Etenim licèt Suetonius Tranquillus [f] id Augusti tempore in vsu fuisse demonstret, dum eius lenitatem commendans inquit: *Manifesti parricidij reum, ne culleo insueretur, quòd non nisi confessi afficiebantur hâc pœnâ ita interrogasse, Certè patrem tuum non occidisti*, nempè vt se non occidisse responderet. Attamen Ciceronis tempore id itidem valuisse non videtur, cùm in Roscianâ illâ oratione, tot referat conuincendi parricidij rationes. Neque, quod Petrus Aerodius [g] vult, Corneliâ, aut Pompeiâ lege id demum cautũ fuisse, affirmare ausim: cùm in Senecæ & Quintiliani vmbratilibus declamationibus sæpe sæpius de parricidijs, eorumq; probationibus, & argumentis, ac coniecturis agatur, & non confessum tantùm, sed conuictum aut manifestum etiam reum puniri videamus. Id quod Apuleius [h] quoque his verbis expressim ostendit. *Neque quisquam decurionum tam æquus remanserat iuueni, quin euidenter noxæ compertum, insui*

c *L. fi. C. de prob. vide Mant. sing.* 258. *Tiber. Deci.* 2. *to. lib.* 9. *cap.* 6. *nu.* 11.

d *D. August. in Reg. & in epist.* 109. *ad monach.*

e *Couar. in Clem. si furios. in initio* 2. *pa. nu.* 12. *Cuiac. in parat. C. de his qui parentib. Pet. Greg. lib.* 36. *c.* 24. *nu.* 6.

f *Suet. in August. cap.* 33.

g *Pet. Ærod. li.* 8. *rerũ iudic. tit.* 6. *cap.* 10.

h *Apuleius li.* 10 *asini. vide etiam Ciceron. lib.* 2. *de inuent. vbi de confirmat. agit.*

insui culleo pronuntiaret. Et Sallustius[i] non malè iuuat qui vbi more maiorum capitalium criminum rei dãnari deberent, (quod in parricidio contingere Modestin.[l] admonuit) nihil manifestos à confessis differre testatur. *De confessis* (inquiens) *sicuti de manifestis rerum capitalium more maiorum supplicium sumendum esse.* Quò fit, vt quamuis confessos tantùm culleo insui posse tradat Suetonius: cùm tamen id neq; ab alijs auctoribus scriptum fuerit, neque iura vllam in huius criminis cognitione ab alijs differentiam constituant, apud me Suetonij fides in dubium vocetur & in parricidij supplicio minimè vt se ipsum proprio ore damnet vel absoluat delinquens, admittendum videatur, quod vix leges aut ne vix quidem in ciuilibus causis recipiunt[m]. Nisi si fortè non satis apertis probationibus fuerit scelus compertum. Hoc enim in casu rectè poterit iudex Augusti exemplum sequutus parricidij reum ex propriâ confessione dimittere, & ad clementiam potiùs quàm ad seueritatem inclinare. Nam vt optimè Quintilianus[n] scribit, *Falso hoc crimine accusari, pertinet ad vota.* & vt tradit Seneca[o], *Seculo parci videtur, vbi parricida seu paribus sententijs, seu incredibilitate dimittitur.* Si verò vel sufficienter probatum, vel etiam grauissimis & vrgentissimis coniecturis conuictum, inueniatur, rectè ad pœnam descendere poterit iudex, vt cum Bald. Hippol. & Boër. Tiberi. Decian.[p] rectissimè tradidit.

i *Sallust. in Catil.*

l *Modest. in l. pœna. D. de parric.*

m *L. vnic. C. ne quis in suâ causâ iudic. l. sub hâc. de oblig. & action. l. nemo. de testib.*

n *Quintil.*

o *Sen. li. 3. cõt. 2.*

p *Tiberi. Decian. libr. 9. crimin. c. 14. nu. 4. cũ seq.*

CAPVT XVIII.

Nullam causam inueniri posse, quæ parricidium excuset, optimis exemplis probatur. Qui parricidium parricidio vindicāt, potiùs dimitti & ampliari, quàm absolui. Orestis & Alcmæonis parricidia etiam si in patrum vltionem facta, furijs punita. Ciceronis de causis furiarum, quæ parricidas exagitant, verba. Orestem Dijs in Areopago sedentibus absolutū. Parricidium etiam inuoluntarium extra pœnam non esse. Inuoluntarij homicidij quæ fuerit pœna apud Græcos. Furiosum si in furore parricidium commiserit impunem esse. Quid si post delictum efficiatur furiosus?

PARRICIDII crimen graue adeò est, & nefarium, vt nullius causæ prætextu excusari posse videatur. Vnde narrat Valerius Maxim[a]. Agellius, & alij, mulierem quamdam, quæ virum & filium eodem tempore venenis clam datis irata interfecerat: quòd ij optimæ indolis iuuenem, quem ex priori marito sustulerat, insidijs occidissent, à Gn. Dolabellâ ad Areopagi cognitionem reiectam, quia ipse neque liberare cædib⁹ duabus contaminatam, neq; punire eam iusto dolore impulsam, sustinuit. Areopagitæ autem, inspectâ causâ, & accusatorem & reum post centum annos ad se venire iusserunt. Sic neq; absolutū mulieris veneficium relinquentes, quod per leges non licuit, neq; nocentē damnantes, quæ veniâ digna fuit. Cui exēplo simile aliud ex eodem Valer.[b] subiici potest, qui ait, apud M. Popilium Lenatem, fœminā quamdam accusatam fuisse, quòd matrem fuste interemisset, sed quia abundè constiterat, eam veneno occissorum liberorum, quos auia necauerat, dolore & acerbitate motam, parricidiū parricidio vindicasse, pronun-

a *Valer. Max. li. 8. cap. 1. Agell. li. 12. nocti. Attic. c. 7. Ioan. Sarisb. in policrat. lib. 4. c. 11. & vide alia exempla apud Tiber. Decian. 2. to. crim. lib. 9. ca. 6. nu. 7. cum seq. & c. 15. per tot.*

b *Valer. sup.*

pronuntiatum fuisse: *Hanc neque damnari neque absolui posse.* Nam vt Papinianus Caracallæ respondit[c], *Parricidium non tam facilè excusari potest, quàm fieri.* Et licèt absolutum à Senatu Fabium Fabritianum tradat Plutarch[d]. quia matrem & adulterum, in patris ab eis obtruncati, vltionem, necauerat; & eodem Plutarch.[e] teste Cyianes & Medullina parentes interfecerint, quòd ab his fuerint per vim stupratæ: & Ninus, vt Iustinus[f] refert, Semiramidem matrem occiderit, quòd eius concubitum & congressum optasset: tamen adhuc, vix posse vllam tam infausti sceleris iustam excusationem prætendi Orestis exemplo satis ostenditur, quem, vt passim poëtæ, & historici[g] narrant, quamuis Clytemnestram & Aegistum adulterum, in vltionem Agamemnonis patris, qui ab illis fuerat in ipso Asiæ regressu inter epulas iugulatus, occiderit: semper tamen furijs exagitatum fuisse, litterarum monumentis cognouimus, nec nisi tantisper ab eis liberatum, vbi ad Apollinis templum confugit, quod Eumenides ingredi ausus non fuisse, sed dum exiret, expectasse, ex Virgilio[h] colligitur, dum inquit.

Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes,
Armatam facibus matrem, & serpentibus atris
Cum fugit, vltricesq; sedent in limine diræ.

Quò vsq; ad Dianæ aram perductus, perpetratum facinus expiauit. Sed & idem Alcmæoni contigisse, & pariter furijs infestatum ob Eriphyles matris cædē, quæ ipsa aureo monili corrupta, maritum Amphiarum Alcmæonis patrem, Polynici prodidisset, Diodor. Sicul.[i] latè recenset: eòq; respexit Propert[l].

Aut Alcmæoniæ furiæ, aut ieiunia Phinei.

Et ad vtrumque Cicero[m] totam hanc rem eleganter exor-

c Spart. in Carac.
d Pluta. in parallel. c. 71.
e Idem in parall. c. 38. & 39.
f Iustin. li. 1. hist.
g Eurip. in Orest. Ouid. lib. 1. & 4. de trist. Statius li. 1. Thebai. Sophocles in Elect. & omnino Philostr. in vitâ Apol. lib. 4. c. 12. circa finem.
h Virg. 4. Æneid.
i Diod. Sicul. li. 5 bibliot. & Arist. omnino vid. [illegible] 3. ethi. c. [illegible]
l Proper. lib. 3.
m Cicer. pro Rosc. Amer.

exornans his verbis; *Videtis ne, quos nobis poetæ tradiderunt, patris vlciscendi causâ supplicium de matre sumpsisse, cùm præsertim Deorum immortalium iussis atque oraculis id fecisse dicantur: tamen vt eos agitent furiæ, neque consistere vsquam patiantur? quòd ne pij quidem sine scelere esse potuerunt.* & paulò post, causam ob quam huiusmodi furiæ à poëtis fingantur, proponens, *Sua* (inquit) *quemq; fraus, & suus terror maximè vexat: suum quemq; scelus agitat, amentiaque afficit: suæ malæ cogitationes, conscientiæque animi terrent. Hæ sunt impijs assiduæ domesticæque furiæ, quæ dies noctesque parentum pœnas à consceleratissimis filijs repetant.* Vnde & adagium natum est, *Conscientia mille testes.* & Philostratus in vitâ Apollon. *Euripidis quoque sententiam laudat, putantis conscientiam esse, quæ homines puniat cùm se malè operatos esse recogitant. Eadem quoque furiarum pœnas apposuit Oresti, quando aduersus matrem insanijt.* Pausanias [n] quoque commemorat, Alcmæoni ob matris cædem nullum apud Græcos honorem habitum fuisse, quàuis Anphiaraus eius pater, & alij Heroes in Deorum numerum relati fuerint, & ab Oropijs templo & statuâ donati. Et Orestem Argiuorum edicto, vrbe, tectoq; interdictum, & variatis hominum sententijs vix tandem Dijs in Areopago sedentibus, à matris parricidio absolutum Eurip. [o] Ciceronis, & aliorum testimonijs didicimus. Nimirùm quia nullum tantùm scelus inueniri potest, quod sit parricidio vindicandum: & cùm æqualis pietas parentibus debeatur [p], non licet alterius causâ in alterum manus inijcere. Vnde Catoniani [q] aut certè Catone digni versiculi.

Dilige non ægra charos pietate parentes,
Nec matrem offendas, dum vis bonus esse parenti.

Quin

Philost. li. 7. c. 7.

n Pausan. in Atticis, siue lib. 1.

o Eurip. in Elect. Cice. pro Milone, vbi latè Dionys. Lambin. & Pet. Ærod. li. 8. tit. 6. cap. ... 4. de curat. furt.

q Cat unc. lib. 3.

Quin & parricidium casu & imprudentiâ commissum, non prorsus citra culpam esse, Oedipi, & Cephali exemplis non malè comprobari potest: quorũ ille, cùm Laium patrem suum, à quo fuerat sanguinolentus adhuc occidi iussus, imprudens in turbâ necasset, Iocastamq; matrem vxorem duxisset, postea re cognitâ, tantorumq; scelerum à se repetens pœnas, vtrumque sibi oculum eruit, Athenasq; in voluntarium exsilium concessit[r]. Cephalus verò, cùm iacto telo Procridem vxorem, feram esse existimans, in venatione transfodisset, Thebas exulauit; nec nisi decem exactis seculis, eius posteri, consulto prius Apolline ab Atheniensibus recepti fuerunt, vt Pausanias[s] recenset. Cyanippum quoq; & Aemylium narrat Plutarchus[t], vxoribus, simili ac Cephalus fato, interfectis, insperatũ facinus propriâ morte luisse. Nam & si vt Xenophon[v] ait, *Quæcumque per imprudentiam ab hominibus delinquuntur, hæc omnia inuita esse censeantur*. & apud Græcos, vt Claudius Saturn.[x] & alij ex iuris scriptoribus latè demonstrãt, fortuiti, & inuoluntarij casus exsilio voluntario puniri solerent, quod idem apud Memphitas lege cautum fuisse Philostratus[y] docet: tamen in parricidio etiam inuoluntario, & per imprudentiam cõmisso, seueriorem pœnam luendam esse, vel ipsi rei, suæ causæ iudices, existimarunt. A quibus non longè abfuisse videtur Telegonus, qui, vt Dictys Cretensis enarrat[z]; cùm Vlyssem patrem, qui somniorum diritate conterritus latitabat, misso in eum necdum sibi cognitum iaculo, lethaliter vulnerasset, cognito postea parentem esse, vtrâq; manu caput dilanians, fletum edidit quàm miserabilem, maximè discruciatus ob illatam per se patri necem. Cui facto pro-

r *Oedipi fabulam vide apud Senecam tragœdiographum in Oedipo.*

s *Pausan. in Atticis.*

t *Plutar. in parallel. c. 42. & 43.*

v *Xenoph. li. 3. de Cyri pædia.*

x *Claud. Satur. l. aut facta. §. euẽtus. de pœn. vide Alciat. 2. parer. c. 2. Tira. de pœn. temp. causa 13. Forner. 1. select. c. 10. Pet. Greg. lib. 36. syntagm. c. 20.*

y *[illegible] de vita Apollo. [illegible]*

z *Dict. Cret. lib. 6 de bello Troiano, in fine.*

ximè alterum illud videtur accedere, quod apud Tacitum [a] legimus his verbis scriptum: *Iulius Mansuetus, ex Hispaniâ, Rapaci legioni additus, impuberem filiū domi liquerat; is mox adultus, inter Septimanos à Galba conscriptus, oblatum fortè patrem & vulnere stratum, dum semianimem scrutatur, agnitus, agnoscensq;, & exsanguem amplexus, voce flebili precabatur piatos patris manes, ne se vt parricidam auersarentur. Simul attollere corpus, aperire humum, supremo erga parentem officio fungi. Aduertêre proximi, deinde plures: hinc per omnem aciem miraculum, & quæstus, & sæuissimi belli execratio.* Planè si quis per furorem parricidium fecerit, omninò à pœnâ excusari, satisque furore ipso puniri, diligentiùsque ab agnatis & gentilibus (quorum curæ id antiquis legibus [b] erat commissum) custodiendum esse, relato Diuorum fratrum rescripto, Modestinus [c] & Macer admonuerunt. Quæ enim furiosi admittunt delicta, casu, & absque alicuius personæ facto accidere censent legislatores, & non magis ea puniunt, quàm si quadrupes damnum dederit, aut tegula ceciderit, vt ex Pomponio [d], & Vlpiano colligitur, & pluribus hanc in rem diligenter congestis Tiraquellus [e], & Menochius aduertunt. Id quod, adeò verum esse, existimant plures, vt non solùm impunita sint maleficia, quæ per furorem patrantur, sed & ea etiam, quæ quis compos mentis admisit, qui tamen posteà in furorem inciderit. Quod tamen quia difficultate non caret, & quæstio hæc varijs doctorum sententijs, reddi solet ambigua, è re erit Couarrub. Tiraquelli, Menochij, Forcatuli, Baudi, & aliorum, quos nouissimus Hieronymus Zeuallos retulit, scripta videre [f]. Mihi autem, saltim in parricidio, superuenien-

a *Tacit. lib. 3. historiæ, vel 19. annal.*

b *Furiosos agnatorum tutelæ relictos. probat Cic. 2. de inuēt. Varr. lib. 1. de re rust. c. 2. Ræuar. ad ll. 12. tab. c. 13. Balduin. c. 23.*

c *Modest. in l. pœna. vers. sanè si per furorē. D. de parric. Macer in l. diuus. de offic. Proconſ.*

d *Pomp. in l. fin. in fin. de admi. tut. Vlp. in l. sed & si quemcumq. §. 1. ad l. Aquil.*

e *Tiraq. de pœn. temp. causs. 2. Menochi. casu 325. Carrer. in prax. §. homic. vers. nono quæro. nu. 32. & in terminis latè Tib. Decia. lib. 9. crim. c. 15.*

f *Couar. in C'em. in m[illegible] p. n. 2. Menoc[illegible] p. n. 12. Tiraq. sup. causa. 3. Forcat. dialo. 33. Baudus li. 2. qq. c. 7. Zeuall. pract. comm. q. 33.*

niētē furorē criminis suppliciū nō impedire, disertis Macri I.C.[g] verbis ostendi videtur, vbi ex rescripto principis in cū, qui interuallis quibusdā sensu sanior erat, iubet inquiri, & diligenter explorari. *Num fortè eo momento scelus admiserit, vt si cùm posset videri sentire parricidium fecerit, pro immanitate criminis supplicio afficiatur*. Aut certè (quod magis Andræas Fachineus[h] admittit) totum hoc prudentis iudicis arbitrio relinqui debere, is enim temporis, personarum, facinoris, & aliarum rerum contemplatione habitâ, quid statui oporteat commodiùs inspiciet. Nam vt rectè Ouidius[i],

Iudicis officium est, vt res, ita tempora rerum
Quærere: quæsito tempore tutus erit.

Sed hæc sufficiant, vt constet verissimum esse, quod Iustinus[l] ait, *In parricidio nullam satis iustam causam ad sceleris patrocinia prætexi posse*. Id quod Idomenæi etiam exemplo Alexand. ab Alex.[m] satis ostendit, qui à Cretensibus pulsus, & patriâ tanquam impius eiectus fuit, quòd filium sibi obuiam factū, Dijs ex voto immolare voluisset.

g *Macer in d. l. diuus.*
h *Fachin. lib. 9. controu. c. 3.*
i *Ouid. 1. fastor.*
l *Iusti. li. 16. hist.*
m *Alex. 3. genia. cap. 22.*

CAPVT XIX.

De parricidæ testamento & successione tractatur. Vltimo supplicio damnatos olim nec testamentarium nec legitimum heredem habuisse. Hodie secus. Eorum qui ante damnationem decessissent, nisi sibi mortem inferrent facinoris conscientiâ, successionem fuisse. De his qui sibi mortem consciuerint plurima. An fiscus, an parricidæ filij, vel alij agnati ad bona interfecti, quæ ad parricidam essent peruentura admittatur. Variæ in hâc quæstione doctorum sententiæ referuntur.

SVPERIORIBVS consequens est, vt ante quàm nostræ disputationis vela contrahamus, paucula quædam de parricidarum tam legitimâ, quàm testamentariâ successione, & hereditate dicantur. Et quidem Vlpiano [a] docente cognoscimus; *Parricidij postulatum si interim decesserit, siquidem sibi mortem consciuerit, successorem sibi fiscum habere debere, si minùs, eum quem voluit: si modò testamentum fecerit; si verò intestatus decesserit, eos heredes habiturum, qui lege vocantur.* Sed verò Vlpianus de postulato seu accusato, nec dum autem damnato reo loquitur. In quo idem [b] alibi tradidit: *Si quis post accusationem in custodiâ fuerit defunctus indemnatus, testamentum eius valebit.* & Paulus [c]: *Bona eorum qui in custodiâ, vel in vinculis, vel compedibus decesserunt, heredibus eorum non auferri, siue testato, siue intestato decesserunt.* Nam vt Macer ait [d], & Senatus consulto comprehensum erat, *Nullius mortui bona, antè quàm de eo pronuntiatum sit, publicanda sunt, eáque bona heredes possidere debent.* nisi si fortè conscientiâ sceleris, & imminentis supplicij metu, mortem sibi consciuerint, tunc enim pro confessis & conuictis habentur, eorumque neque testamenta manebant, neque legitima successio dabatur, sed fiscus bona occupabat, vt Vlpianus superiori loco, & alij Iurisconsulti passim aduertunt [e]. Fuit quippe semper, de se statuere, admodum turpe, vt grauiter Aegisippus, & Augustinus [f] ostendunt, & tunc præcipuè turpissimum, vbi quis metu criminis violentas sibi manus inferret. Vnde huiusmodi reum, qui sententiam voluntariâ morte præuenit, inhumatum abiici [g], sine successore

a *Vlp. in l. parricidij. 8. D. ad leg. Pomp. de parric.*

b *Idem Vlp. in l. si quis. 9. de testam.*

c *Paul. in l. in fraudē. 45. de iur. fisc.*

d *Macer in l. 2. in fi. D. de bon. eorū qui ante sentent. Marcianus idem ait mandatis caueri in l. 3. §. si qui. eod. tit. & Tacit. lib. 6. inquit, eorum qui damnati non essent corpora humari, manere testamenta.*

e *L. 3. per totam. D. de his qui ante sent. l. 1. C. eod. d. l. in fraudem. §. eius bona. l. 6. §. eius qui. D. de iniust. rupt. Tacit. sup. vide Mant. in Enchiri. c. 99. & 100.*

f *Ægesip. libr. 3. ex[illegible] capite 21. Aug[illegible] [illegible]uit. [illegible]ei. c. 17. & omninò videndus Annæ. Rob. li. 1. rer. iud. c. 12. & Iacob. Durāt. 2. obser. c. 3.*

g *Plato li. 9. de legi. Quint. decl. 327. Forn. 3. sele. c. 11.*

fore manere [h], à propinquis vel coniuge non lugeri [i], nomen eius in parentationibus, siue ferali cœnâ à cognatis non dici, in quâ tamen cæterorum propinquorum defunctorum nomina dicebantur [l], tam Iurisconsultorum, quam aliorum auctorum testimonijs probatur. At nos de parricidæ etiam bonis & hereditate tractemus, qui non accusatus tantùm, verùm & damnatus infandissimi huius sceleris fuit. Et constat hunc simul atque condemnatus est, bonis omnibus exui, quia capitale supplicium bonorum omnium publicatio sequebatur [m]. & per consequens neq; testamentum ab eo fieri posse, & anteà factum rescindi, & ne ab intestato quidem ei heredem contingere, cùm pœnæ seruus statim efficiatur [n]. Quod planè, quoad testamentum attinet, etiam nouiori iure obseruandum videtur, nam licèt ex Iustiniani legibus, nemo benè natus seruus pœnæ reddi possit [o], & damnati bona, excepto maiestatis crimine, descendentibus & ascendentibus vsque ad tertium gradum, cófiscatione cessante, præstari iubeantur [p], non tamen ideò magis parricidij reus, aut quiuis alius, qui capite damnatus fuerit, téstamenti factionem habebit, vt Accúrsij, Bartoli, Pauli, Cuiacij, & aliorum scriptis probatur [q]. In quo articulo non omninò displicet Francisci Hotomanni sententia, qui, hoc vt rei capitalis damnati testamenti faciendi facultate interdicantur, posterioribus Iurisconsultorũ temporibus receptum videri, arbitratur [r]. Nam & Cornificius & Cicero [s] de eo qui parricidij iudicatus erat, verba facientes, apertè testantur, certam nullam fuisse legem, quâ damnatis culleo, testamenti factio prohiberetur, & inter testamentarios, & legitimos

h *d. l. 3. de bonis eorum, qui ante sent.*

i *L. liberorum. §. non solent. D. de his qui notantur infamia.*

l *Artemid. de somni. interp. lib. 1. c. 5. Alciat. lib. 6. parer. c. 27.*

m *L. 8. §. 1. de testam. l. 2. C. de bon. proscrip. l. 15. tit. 1. part. 6.*

n *L. 6. §. irritum. de iniust. rupt. l. qui vltimo. 29. D. de pœnis.*

o *Auth. sed hodie C. de donat. inter.*

p *Auth. vt nulli iud. liceat. §. fin. collat. 9.*

q *Accurs. in d. l. 8. verb. publicabuntur. detestan & in d. auth. sed hodie. Bart. in d. l. qui vltimo, Paulus Cuiac & [illegible] in d. l. 8. de testam. Onciacus lib. 1. academ. quæst. c. 41.*

r *Hotoma. in d. l. 8. de testament.*

s *Cornificius ad Herenn. Cicero lib. 2. de inuentione.*

timos parricidæ heredes, controuersiâ motâ, rem totam ex coniecturis, & ratiocinatione pendere demonstrant. Apud nos autem Regio quo vtimur iure, cùm damnati ad mortem, vbi confiscatio specialiter in pœnam criminis statuta non est, tàm ex testamento quàm ab intestato heredes habere possint, & nedùm ante, verùm & post condemnationem vltimi elogij condendi ius habeant [t], nulla inter parricidij, & aliorum maleficiorum reos differentia constitui debebit. Sed videamus quid de illis bonis faciendum sit, quæ illius fuerant, qui à parricidâ interfectus est, & an ea fiscus, quo casu, vel omnia vel eorum pars, ad parricidam tanquam ad heredem legitimum spectabant, ab ipso vt ab indigno auferat, an ad parricidæ heredes pertineant? vel eis remotis sequentibus agnatis adiudicentur? Quæ quidem quæstio in difficili esse videtur, propter diuersas, quę in eâ reperiuntur Doctorum sententias, quas sigillatim Boërius, Mantua, & Mar. Ant. Peregrinus recẽsent [v]. Inter quas ea frequentiori calculo ab interpretibus approbatur, vt occisi hereditas ad parricidã, & eius filios vel heredes, seruato sanguinis gradu, pertineat, eam tamen per fiscũ ab eis, vt ab indignis auferri. Nam etsi fratris vel alterius ex agnatis factũ, proximioribus, vel his qui sunt in eodẽ gradu neutiquam noceat, iuxta Bart.[x] & aliorum doctrinam, sibi tamen, & eis qui ab eo succedũt, vel remotiori gradu sint, non immeritò nocet. Etenim si heres qui mortẽ defuncti non vindicauit indignus censetur[y], quãto magis eum, qui defuncti mortem atroci scelere procurauit, indignum existimabimus? qui, vt alibi Pompon.[z] scripsit, *Non debet ob facinus suum hereditatem sperare lucrifacere*. Aut cur remotior heres ius suum sibi

t *L. 4. Tauri, quæ est lex 3. tit. 4. li. 5. recop. vbi omnes. & latè Couarru. 3. p. Rubr. de test. nu. 27. Molina de primogen. lib. 4. c. 12.*

v *Boër. q. 25. Mãtua in Enchiri. c. 233. latè Marcus Ant. Peregrinus in tractat. de iure fisc. lib. 2. tit. 3. per totum.*

x *Bart. in l. si sequens gradus. D. ad Syllan. & in l. 1. D. si quis aliquẽ testar. Bald. in l. data opera. C. qui accus. nõ pos. Greg. Lopez in l. 6. ti. 7. p. 6. verb. del heredero.*

y *L. 1. C. de his q[illegible] & qui. D. eo. tit.*

z *Pomp. in l. si ab hostibus. §. fi. D. solut. matr.*

sibi ereptum quereretur? cùm ipse si nullum admissum crimen foret, nihil esset habiturus, cùmq; ne ad ipsos quidem parricidæ filios quidquam ex occissi bonis sit peruenturum, vt Paulus [a] his verbis scriptum reliquit: *Præterea ex his, quæ per flagitium damnatus acquisiuit, portiones liberorum non augentur, veluti si cognatum suum interimi curauerit, & eius hereditatẽ adierit, vel bonorum possessionem acceperit.* Sed licèt hæc ita sint, in contrariam tamen sententiam, me, & iuris, & Senat⁹ Parisiensis auctoritas vocat, à quo in prædictâ quæstione parricidam non indignum, sed incapacẽ sæpe pronuntiatum fuisse, & sic nec alijs agnatis eius facinus præiudicium inferre, Nicolaus Boër. Ioannes Gallus, & nouissimus Marc. Anton. Peregrinus, & Annæus Robert. [b] eruditè pluribus in vtramq; partem adductis, cõmemorant. Constat etenim vnius ex agnatis scelus, cæteris, qui eiusdem sunt familiæ, nocere & præiudicium afferre, cõueniens non esse[c], & eum qui ad succedendum inhabilis est, reliquis non obstare, sed tunc, qui vno gradu remotior est, pro agnato proximiore haberi[d]. Et præterea euidẽs est pro hâc opinione Pomponij responsum [e], in quo cùm vxor à marito occissa fuisset, etsi maritus superstes ex pacto dotem lucrari debere videretur, tamen maritus ob suum facinus dotis emolumẽto priuatur; & non fisco, sed legitimis vxoris heredibus actio dotis acquiritur. Quib⁹ accedit, quod in feudorũ libris[f] in specie maximè ad nostrã accõmodata cauetur, eũ qui fratrẽ occiderit, vt totũ feudũ habeat, feudo quidẽ priuari, illud verò ad proximum agnatũ deuolui. Quod idẽ in nostræ Hispaniæ primogenijs absq; dubio procedere, Greg. Lopez[g], & alij testãtur. Sed & Lõgobardicis legibus idẽ omninò cautũ inuenimus: Rex

a *Paul. in l. cum ratio. in fi. de bon. damnat.*

b *Boër. d. q. 25. Ioa. Gall. q. 266. Ann. Rob. lib. 3. rer. iud. ca. 7. M. Ant. Peregr. de iur. fisci. lib. 2. tit. 3. nu. 6.*

c *L. 2. §. fratris. D. si quis aliquẽ. l. sancimus. C. de pœnis.*

d *L. si post mortẽ. §. liberi. de cont. tab. l. 1. C. de hered. instit.*

e *Pomp. in d. l. si ab hostib. §. 1.*

f *C. 1. §. similiter vbi glo. verb. fratrem. quib. mod. feud. am. Peregr. d. tit. 3. nu. 3.*

g *Greg. Lop. in d. l. 6. verb. de ... [illegible] ... es de maiorat. q. 4. ... 13. Molina de prim og. lib. 3. c. 2. n. 32. Vela de delic. c. de homic. n. 19.*

h *L. 1. & 2. de parric. in leg. Lõgob.*

Rex enim Rotharius [h] & Lutprandus parricidæ animam potestati regis relinquunt; ad hereditatem autem & bona non solùm occissi, verùm & occissoris fiscum non aliter admittunt, quam si alij proximiores parẽtes, id est legitimi heredes defuerint. Quas leges licèt quoad hereditatem interfectoris posteà Imperator Henricus reformauerit, constituens vt in fiscum redigeretur, quod tamen ad bona interfecti pertinet, illibatas manere decreuit, vt constat ex illius verbis, quæ sic habent [i]: *Quicumque propter cupiditatem rerum patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores, vel nepotem, aut aliquem suum propinquum, per se, aut per alium interfecerit, hereditas interfecti ad alios suos legitimos heredes perueniat; hereditas verò interfectoris in fiscum redigatur; ipse verò ordinante Episcopo publicâ pœnitentiâ subdatur. Quòd si ille cui crimen mittitur negare voluerit, per se pugnam faciat, nec liceat campionem pro se dare, nisi decrepita ætas, aut iuuenilis, aut infirmitas pugnare prohibuerit.* Quâ in lege obiter animaduerto, purgationem illam vulgarem, quam per duellũ fieri iubet, in lege antecedenti ita fieri iussam, vt qui se occidisse negauerit, ad nouem vomeres ignitos ad iudicium Dei examinandum accederet. Erat quippe eâ ętate nõ apud Lõgobardos modo, verùm & apud alias gẽtes frequẽs hic mos, vt suspicio criminis, vel pugnâ, vel cãdẽtis ferri susceptione, vel alijs similibus modis purgaretur: quò vsq; Pontifices huiusmodi iudiciũ vtpotè in quo Deus tentari videretur, interdixerũt [l]. Quâ de re non grauarer aliqua in mediũ adducere, si vel id instituti nostri ratio pateretur, vel ab alijs multa hũc spectantia diligenter congesta non fuissent [m].

i *L. fin. eod. tit.*

l *Cap. 1. & 3. de purgat. vulgari. c. ex tuarum. de purgat. canonic. c. Mennã. 2. q. 5.*

m *Vide Anastas. Germon in parat. de purgat. Cano. [illegible] verb. purgat. [illegible] rer. iud. c. 1. fol. 72. & latiùs Pet. Greg. li. 48. syntag. ca. 15. per totum.*

CAP.

CAPVT VICESIMVM.

Parricidij crimen publicum esse. Ideo eius accusationem cuiuis è populo datam. Parricidio Rempublicam lædi. Parricidij accusationem nullo temporis spatio finiri, licèt reliqua crimina vicennio extinguantur. Paulus in l.fin.de parricidijs expositus. Noua eius interpretatio cum Cuiacio relata. Quæ tamen reiicitur posteà, & communis magis probatur.

SED VT receptui canamus, & tot vexata fluctibus nostræ tractationis nauicula, optatum portum, quem iam velut vmbram non procul aspicio, tandem appellat, vltimo hoc capite de parricidij accusatione, breuitate Laconicâ nonnulla præstringam. Et verò constat crimen hoc inter iudicia publica optimo iure relatum [a], quippè cùm vt Macer ait [b], ex legibus publicorum iudiciorum originem trahat. Cui & illud consequens esse videtur, vt cuilibet de populo eius accusandi potestas sit. Etenim (quicquid Duarenus[c], Goueanus, & alij ex recentioribus velint) verissima est Iustiniani Imperatoris sententia [d], neque ab aliorum Iurisprudentum responsis aliena, qui publica iudicia inde dicta nos docet, quòd cuiuis de populo eorum executio plerumque conceditur. Neque potuit asperrimi huius criminis accusatio non omnibus dari, cuius atrocitas & vniuersam Rempublicam, & quemlibet è populo lædere existimatur. Sic enim Orosius [e], *Malleoli parricidium, vrbem omnem subito mœrore fuscasse*, scriptum reliquit, & in non dissimili specie Cæsares[f], de violatâ religione diuinâ, cui parentum pietas tantùm non æquatur, verba facientes, Hæresim inquiũt

a §. alia deinde. iuncta Rubr. inst. de pub. iud.

b Macer in l. 1. de pub. iud.

c Duaren. lib. 1. disp. c. 37. Gouea. 1. varia. cap. 27. Eguin. & Hoto. in princ. de pub. indic. Brisson. de verb. iuris. verb. publica.

d Iustin. in princ. de pub. iud. l. palam. § senatus. de rit. nup. l. lege Cornelia. 30. D. de falsis. l. quamuis. C. de adult. defendit Ræua. 1. var. c. 27. Carõd. 1. verosim. c. fin. & [illegible] 14. & Cuiac. 8. obs. [illegible] 33. Rober. lib. 4. sente. c. 10.

e Oros.

f Impp. in l. 4. C. de hæret.

Manichæorum vel Donatiſtarum, *volumus eſſe publicum crimen, quia quod in religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam.* Quin & illud ſibi proprium ſceleris huius immanitas vindicat, vt licèt alia crimina viginti annis elapſis in iudicium deduci non poſſint, neq; eorum accuſatio, aut inquiſitio admittatur, vt Diocletian. & Maximian. ſtatuunt[g], & communiter interpretes omnes Nicol. Boërio, Aegidio Boſſio, & Iul. Claro teſtantibus[h], recipere ſolent: parricidij tamen accuſatio nullis temporis ſpatijs poſſit extingui, nulliſq; diſſimulationis, quantumuis lõgæuæ præſcriptionibus, & metis excludi. Id quod Paulus I.C. his expreſsis verbis admonuit[i]: *Eorum qui parricidij pœnâ teneri poſſunt, ſemper accuſatio permittitur.* & Accurſ. Bart. Salycet. Duaren[l]. & reliqui fermè omnes iuris noſtri ſcriptores conſtanter tenuerunt, & dictionis illius *ſemper* proprietas perſpicuè demonſtrat, quæ continuitatem & perpetuitatem accuſationis ſignificat[m]. Sed his contrarius Iacobus Cuiac.[n] & qui Cuiacij veſtigia ſequitur Dionyſ. Gothof.[o] obfirmato animo aſſerere non verentur, nulla quamuis grauia crimina, & Reipublicę pernicioſa, vltra vicennium porrigi; hoc tempus finiendis accuſationibus generaliter conſtitutum; poſt illud, criminales omnes actiones, quin & ciuiles fiſcales, exceptâ cauſâ commiſsi, & vacantium bonorum, ſopiri[p]. Neq; Diocletianum & Maximian[q]. contrarium docere: nam quod aiunt, *Falſi querelam vt cætera quoq; ferè crimina, viginti annorum præſcriptionibus excludi*, non idcircò adiici, quaſi aliqua ſint, quæ vicẽnio non extinguantur, ſed quoniam nonnulla quinquennio tollãtur, vt quæ ex lege Iuliâ de adulterijs, pecu-

g Diocl. & Max. in l. querela. 12. C. de falſis.

h Boer. q. 26. Boſſius in prax. c. 41 Iul. Clar. recept. § fin. q. 51. Anchar. 2. q. c. 29. Cuiac. de diuerſ. præſcri. cap. 28.

i Paul. in l. vlt. D. de parric.

l Accur. in d. l. fi. & in d. l. querela. vbi Bart. Salyc. & alij. Duaren. ad tit. D. de parr. in fi. Vveſemb. in parat. eiuſdẽ. Tiber. Deci. 2. tom. crim. lib. 9. c. 6. nu. 10.

m L. Caio. §. Imp. Italim. leg. l. 1. vbi glo. Bart. & cæteri. D. ſolut. mat.

n Cuiac. li. 4. obſer. cap. 14. & in [illegible] poſtu. ad d. l. vl[illegible]

o [illegible] Goth. in d. l. querela.

p L. in omnibus. ad diuer. tẽp. præſ. l. 1. §. pen. & vlt. vbi Cuiacius. de iure fiſci. l. 2. & 3. D. de req. reis.

q in d. l. querela.

peculatus, aut S.C. Syllaniano descendunt [r], interdum & anno, vt in iniuriarum actione contingit [s]. Ergo quod Paulus ait, *Semper eorum qui parricidij teneri possunt accusationem permitti*, eo modo accipiunt, nisi vicennalis præscriptio obiiciatur, & quod idem alibi de supposito partu agens, huius criminis accusationem nullâ tẽporis præscriptione depelli, tradit [t], pari limitatione restringunt. Imo & Cuiacius [v], plus cõiecturis, quàm apertis iuris decisionibus tribuẽs, eò prorumpit audaciæ, vt Pauli responsum, quod extat in lege finali de parricidis, fugitiuum esse arbitretur, & cùm à Triboniano in Senatusconsulti Syllaniani expositione collocari debuisset, quo aliter extranei heredes, aliter hi qui parricidij teneri possunt, conueniuntur, vt Venuleius Saturninus admonuit [x], malè ab eo ad titulum de lege Pompeiâ translatum. Sed hoc potiùs est iura corrumpere, quàm exponere, & contra Augustini [y] sententiam, *De ipsis legibus iudicare, non secundùm ipsas.* Quare simplicem iuris docendi rationem & viam magis sequutus, cum communi veterum scholâ, Pauli verba, prout iacent, accipienda esse contendo, & iustissimè vicennij præscriptionem, quæ in alijs criminibus solet locum habere, in parricidio cessare, cuius atrocitas vt expiationem nullã, ita nullum temporis subterfugium habere meretur.

(.?.)

r *L. mariti. §. hoc quinquenniũ. D. de adulter. l. pecu lat⁹. 7. D. ad leg. Iul. pecul. l. in cognitione. 13. D. ad Sylla. vide Cuia. de diuer. præscri. c. 24.*

s *L. si non cõuicij. 5. C. de iniur.*

t *Pau. in l qui falsam. 19. §. 1. D. de falsis.*

v *Cuiac. d. lib. 4. obser. c. 14. & in oper. post. ad tit. C. de falsis.*

x *Saturn. in d. l. in cognition. 13. D. ad Syllan.*

y *August. lib. de vera relig. relatus in c. in istis. 4. di.*

LAVS DEO.

AVCTORVM, QVORVM SENTENTIÆ, ET OPINIONES IN HOC LIBRO CITANTVR, ET EXPONVNtur, nomenclatura, ordine Alphabeti digeſta.

Cal-

Gaſpar Caualinus.
Gilbertus Regius.
Geneſis liber.
Glareanus.
Graciani decretum.
Gregorius Lopez.
Gregorius Lopez Madera.
Guibertus Coſtanus.
Guido Pape.
Guillelm⁹ Benedict⁹.
Guillelmus Budæus.
Guillelmus Forneri⁹.
Guillelmus Onciacus

H

Henricus Stephanus.
Herodianus.
Herodotus.
Heſiodus.
D.Hieronymus.
Hieronym⁹ Cagnol⁹.
Hieronymus Magius.
Hiſtoria Fori Romani.
Homerus.
Horacius Flaccus.
Hippocrates.

I

Iacobus Baulenſis.
Iacobus Cuiacius.
Iacobus Durãtius Caſelius.
Iacobus Menochius.
Iacobus Ræuardus.
Iacobus Simancas.
Ianus Douſa.
Iaſon Mainus.
Ioannes Anania.
Ioannes Vela.
Ioannes Bellonus.
Ioannes Bohemus.
Ioannes Corraſius.
Ioannes Stephanus Durantius.
Ioannes Faber.
Ioannes Gutierrez.
Ioannes Baudus.
Ioannes Gallus.
Ioannes Aurpachius.
Ioannes de Imola.
Ioannes Mariana.
Ioannes Mercerius.
Ioannes Montaluus.
Ioannes Neuizanus.
Ioannes Nicolaus Porta.
Ioannes Oinothomus
Ioannes Pareja.
Ioannes de Platea.
Ioannes Portona.
Ioannes Rojas.
Ioannes Robertus.
Ioannes Roſinus.
Ioannes Sarisberienſis.
Ioannes Stobæus.
Ioannes Tzes.
Iob libri.
Iouianus Pontanus.
Ioſephus Iudæus.
Ioſephus Maſcardus.
Ioſephus Scaliger.
Iſaacus Caſaubonus.
Iſernia.
D.Iſidorus.
Iulius Capitolinus.
Iulius Cæſar.
Iulius Clarus.
Iulius Higinus.
Iulius Pollux.
Iulius Solinus.
Iuſtinus Hiſtoricus.
Iuſtus Lipſius.
Iuuenalis.

L

Lactantius Firmianus
Laguna Medicus.
Laurentius Valla.
Latinus Pacatus.
Leges xij. tabularum.
Leges Fori Hiſpaniæ.
Leges Numæ.
Leges Partitarum.
Leges Recopilationis

Pris-

F I N I S.

MEMORABILIVM RERVM, QVÆ TOTO HOC OPERE CONTINENTVR INDEX, ORDINE ALPHABETI DIGESTVS.

A

Dd Amnis

Bactria-

Cor-

D

Filio-

L

Leges & Capita, quæ exornantur & explicantur in hoc Libro.

Ex D. Veteri.

D. Pauli

Q

R

Re-

V

Vul-



Salamanticæ typis cudebat Artus Tabernelius Antverpianus. Anno CIↃ. IↃC. V. VI. Idus Novemb.